BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
15 — G
59

Ex Bibliotheca
[M]ajori Coll. Rom.
Societ. Jesu

8.6.5.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTIGRAPHEVS
Siue
CONSCIENTIA HOMINIS
R.P. H. DREXELII.



Antverpiæ.
Apud Viduam I. Cnobbari. A.º 1655.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

Digitized by Google

ANTIGRAPHEUS
Sive
CONSCIENTIA HOMINIS,
Coram
SERENISSIMO
MAXIMILIANO
ELECTORE BAVARO,
Illuſtrata:
per
R. P. HIEREMIAM
DREXELIUM SOC: JESU.
ANNO 1632.

Nuncprimùm,
Cum facultate ſuperiorum &
Privilegio.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud JODOCUM KALCOVIUM,
ET SOCIOS.
Anno 1655.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
ac
DOMINO, DOMINO
ERNESTO
HASSIÆ LANDGRAVIO,
PRINCIPI HIRSFELDENSI, COMITI Cattimeliboci, Deciæ, Ziegenhainj Niddæ & Schavvenburg, &c.
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

QVod Regum faſti de Saule memorant, illum aliud agendo, ad Samuelem fortuitò delatum; ibique epulo adhibitum, etiam ferculo lautiore honoratum eſſe: hoc nemo non dixerit Celſitudini Tuæ contigiſſe, Princeps Sereniſſime; ſimul ac libelli huius Auctorem, Auctoriſque Patronum inſpexerit.

Nam quòd Armum Prophetes aſſervari præceperit Hoſpiti, nec invitato, neque convivium vel per ſomnium cogitanti, id Numinis inſtinctu eſt factum; *auriculam Samueli revelantis a:* quod convivator ipſe inſinuabat, cum diceret: *Ecce quod remanſit: pone ante te, & comede, quia de induſtria ſervatum eſt tibi b.* Numinis videlicet nutuin populi ſui Caput Saulem deſtinantis. Armum enim futuro Regi vel dignitatis indicium, vel oneris brevi ſubeundi prognoſticum volebat eſſe.

Ita profectò ſe res habet cum Antigrápheo noſtro, cum libello de Conſcientia hominis conſcripto, quem optimus Pater Hieremias Drexelius in vivis

a 1. Reg. 9. v. 15. b Ibid. v. 24.

vis promiſerat, & inter poſthumos plures alios reliquerat; æquè ſuis abſolutum numeris & propria manu exaratum, atque alios, qui publicum iam dudum aſpexêre. Remanſit, tamen iſte; vt reor, non ſine fato, (cum altero aliquo itidem in lucem prope diem prodituro,) vt in hominum manus hactenus non veniret.

Quo inquis fato? certè non alio, Princeps Sereniſſime, quàm quòd arcano Numinis conſilio Tibi præ aliis quam pluribus Magnatum deſtinatus eſſet: non alio fato, quám vt Tibi aliud agendo hac tranſeunti, ſicut Sauli armus, nihil cogitanti, conſecrraretur: non alio, quam quód Tibi ex argumento ſuo debeatur.

Digitized by Google

Materia libelli de qua agitur Conſcientia eſt, quam quidem Drexelius ſartam tectam inter homines cupit, variiſque rationibus atque momentis, quàm poteſt validiſſimè, adnititur commendare; at nunquam ita efficaciter calamo ſuo, quàm tu Illuſtriſſimo, quocunque te confers, exemplo mortalibus perſuadebit. Nimis enim quam certum eſt, quod Annæus iam olim effatus. *Longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla* a. Tibi ô Princeps de induſtria ſervatus eſt; Tibi libellus inſcribendus erat, non tam vt Patrocinium ab authoritate contra malevolos haberet, quam vt virtus tua (vtpotè Conſcientiæ Cultoris ſtrenuiſſimi) quod

a *Sen. Epi. 6.*

quod rationes ſcriptoris apud Lectorem minus poſſent, potenti exemplo impetraret.

Tu enim conſpecto libelli argumento cum Paulo dicere potes: *In hoc & ipſe ſtudeo, ſine offendiculo Conſcientiam habere ad Deum & homines ſemper*; *a* Qui à primis vnguiculis ita educatus eſſe perhiberis, vt pueritiam etiam egreſſus, eius tamen adhuc integritatis maneres, vt inter dexteram ſiniſtràmue quid intereſſet, *b* vixdum perſpiceres: non vitio mentis hebetioris, ſed innocentis beneficio educationis. Ex qua, tametſi aliunde, ſive, à natalibus ſive naturæ dotibus inglorius fuiſſes, abunde ſat ornamēti,

 tuæ

a *Actor.* 24. 16.
b *Ionæ* 4. 11.

tuæ ſcilicet teſtimonium Conſcientiæ haberes.

Superſedemus particulatim actiones tuas, ad amuſſim exigi ſolitas recenſere: ne aſſentationis, quam in aliis improbamus, notam ipſi incurramus. Vnum tamen illud generoſiſſimum facinus (quod inſtar omnium eſſe poſſit, quodque Orbi huic noſtro pœne vniverſo, quia tantum innotuit,) quin amplius penſitemus animo, ſtyloque exornemus, nemo prohibuerit: quando id ipſum Conſcientiæ tam ſtudioſus, Paulus ad Galatas, in Domino gloriabundus oſtentauit. Quid illud, inquis? Conſcientiæ ſollicitudinem curámque cui ſe ex integro addictum deditumque aliàs aſſeruiſſet.

Cum

Cum placuit ei, ait Apoſtolus, *qui me ſegregavit ex vtero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, vt revelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem illum gentibus: Continuò non acquievi carni & ſanguini.* a *&c*,

Quod Auguſtinus ita interpretatur. *Segregatur quodammodo de ventre Matris, quiſquis à carnaliam parentum conſuetudine cæca ſeparatur: acquieſcit autem carni & ſanguini quiſquis carnalibus propinquis & conſanguineis ſuis carnaliter ſuadentibus aſſentitur b*. Hoc Paulus fecit. Ille tam *abundans traditionum paternarum æmulator*. Ille *minarum & cædis ſpirans Perſecutor*, qui Dei *Eccleſiam ſupra modum perſecutus*, eam expugnatum

a *Gal.c.*1.*v.*15. b *Aug: in le.t.*4

gnatum extirpatumque ibat. Et momentô tamen in Agnum abiit ex Lupo, ſimul boni & benigniſſimi Paſtoris de Cœlo ſeu minas ſeu monita inaudiit: *Saule Saule:* &c. *Continuò non acquievit carni & ſanguini* quin manibus pedibuſque in vocantis voluntatem ſeſe reſignaret, mutato clypeo tantum de reliquo in Judaiſmum pugnaturus, quantũ ad id temporis eundem propugnaſſet. Idque non alio ex capite, quàm quòd *Conſcientiam ad Deum & homines habere ſine offendiculo ſemper ſtuduiſſet.*

Quiſquis hoc ipſum de ERNESTO dixerit noſtro, quod res eſt, dixerit, nihil auribus tribuendo: vtpote cui non minus periculi à carne, à ſanguine, quàm Paulo tunc à *Coæta-*

neis

neis ingenere, à Sacerdotum Principibus, quorum legatione fungebatur, potuit imminuiſſe. Nunquid enim à ventre Matris, non ſegregatus eſt, qui à cæca parentum conſuetudine tam ſe animoſus expedivit? cum valere tenebras juſſit, in quas poſtremi & proximi progenitorum, nuper admodum à majorum ſuorum clariſſima Fidei luce, per fraudem ſunt abducti? cum carnalibus propinquis carnaliter ſuadentibus, aut prudentiſſime obſurduit, aut cordatiſſimè occurrit.

Et hoc quidem eo rerum ſtatu ac tempore, quo Adverſarii ſuarum partium non modica ſperabant incrementa; noſtrarum contra interitũ plus quam præſentem ſomniabant. An-

non

non debebat Princeps ERNESTUS conceptas bonæ mentis ſcintillas more aliorum non paucorum Magnatũ, idem quandóque parturientium, tantiſper ſub cinere fovere? quoad æſtus heterodoxorum, ab armis recens poſitis nondum planè ſopitus, magis ac magis deferbuiſſet? Aut ſpes illa, quæ modò in herba eſt, plenius in meſſem adoleuiſſet? Ita nec odio Acatholicorum ſeſe vnus vnicus obieciſſet, aut offenſam, ſi quampiam cum aliis incurriſſet, certè calamitatis optatum è conſortio plurimum levamen accepiſſet.

Hæ tales tam carnis quam ſanguinis argutiæ, quantumvis multis in arietem poſſint eſſe, quo animis dejecti concidant,

aut

aut ſaltem in ruinam inclinentur: Paulo tamen alicui, Paulive æmulo; ERNESTO dixerim noſtro, ut rigidiſſimo Conſcientiæ Cuſtodi in Fidei non leve ſerviêre ſtabilimentum. Vnde mirum non eſt, ſi libellus hic noſter Conſcientiæ Hunc ſibi è millibus Patronum vnicum vendicet: ſi de induſtria Huic ipſi divinitus ſervatus dicatur: Eique quàm demiſſiſſimè à nobis dedicetur, repetitis Prophetæ verbis: *Ecce quod remanſit*: Princeps Sereniſsime: *pone ante Te & comede; Tibi enim de induſtria ſervatum eſt.* Non Armum, ſed librum cape ſis, qui lectionem refectioni corporis frequenter præferre ſoles: librum accipe, non qualem Ioannes ab Angelo qui

Digitized by Google

ventrem amaricari faciat: *a* (quod Patrono evenire poſſet, Conſcientiæ ſuæ parum ſtudioſo:) ſed ſimilem volumini, quod Ezechieli porrectum in ore fiebat ſicut mel dulce *b*.

Huiuſmodi noſter, quem offerimus, Liber eſt, qui tua non minùs mellita reddet legentis labia, quàm Dei èloquia Davidis fauces. Reddet enim teſtimonium Conſcientiæ tuæ de integritate, Tibique ſpem non dubiam ingeret de libro longè beatiſsimo: de libro Vitæ. Vale, Princeps Sereniſsime; & quam Drexelius ſcripto docuit, Tu factis excolere Conſcientiam, vti hactenus conſueviſti, ſtrenuè

a *Apoc.* 10. 9. b *Ezech.* 3. 5. *Pſ.* 118.

nuè perſeuera. Neoburgi. Ca
Novemb. Feſto Die omniu
Sanctorum. Anno 1652.

Serenitati Tuæ

Devotiſſimum

Collegium Societat
JESU Neoburgi.

Materia libelli de qua agitur Conſcientia eſt, quam quidem Drexelius ſartam tectam inter homines cupit, variiſque rationibus atque momentis, quàm poteſt validiſſimè, adnititur commendare; at nunquam ita efficaciter calamo ſuo, quàm tu Illuſtriſſimo, quocunque te confers, exemplo mortalibus perſuadebit. Nimis enim quam certum eſt, quod Annæus iam olim effatus. *Longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla* a. Tibi ô Princeps de induſtria ſervatus eſt; Tibi libellus inſcribendus erat, non tam vt Patrocinium ab authoritate contra malevolos haberet, quam vt virtus tua (vtpotè Conſcientiæ Cultoris ſtrenuiſſimi) quod

a *Sen. Epi. 6.*

Digitized by Google

quod rationes ſcriptoris apud Lectorem minus poſſent, potenti exemplo impetraret.

Tu enim conſpecto libelli argumento cum Paulo dicere potes: *In hoc & ipſe ſtudeo, ſine offendiculo Conſcientiam habere ad Deum & homines ſemper*; *a* Qui à primis vnguiculis ita educatus eſſe perhiberis, vt pueritiam etiam egreſſus, eius tamen adhuc integritatis maneres, vt inter dexteram ſiniſtràmue quid intereſſet, *b* vixdum perſpiceres: non vitio mentis hebetioris, ſed innocentis beneficio educationis. Ex qua, tametſi aliunde, ſive, à natalibus ſive naturæ dotibus inglorius fuiſſes, abunde ſat ornamẽti,

a *Actor.* 24. 16.
b *Ionæ* 4. 11.

tuæ ſcilicet teſtimonium Conſcientiæ haberes.

Superſedemus particulatim actiones tuas, ad amuſſim exigi ſolitas recenſere: ne aſſentationis, quam in aliis improbamus, notam ipſi incurramus. Vnum tamen illud generoſiſſimum facinus (quod inſtar omnium eſſe poſſit, quodque Orbi huic noſtro pœne vniverſo, quia tantum innotuit,) quin amplius penſitemus animo, ſtyloque exornemus, nemo prohibuerit: quando id ipſum Conſcientiæ tam ſtudioſus, Paulus ad Galatas, in Domino gloriabundus oſtentauit. Quid illud, inquis? Conſcientiæ ſollicitudinem curámque cui ſe ex integro addictum deditumque aliàs aſſeruiſſet.

Cum

Cum placuit ei, ait Apoſtolus, *qui me ſegregavit ex vtero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, vt revelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem illum gentibus: Continuò non acquievi carni & ſanguini.* a *&c,*

Quod Auguſtinus ita interpretatur. *Segregatur quodammodo de ventre Matris, quisquis à carnaliam parentum conſuetudine cæca ſeparatur: acquieſcit autem carni & ſanguini quisquis carnalibus propinquis & conſanguineis ſuis carnaliter ſuadentibus aſſentitur b.* Hoc Paulus fecit. Ille tam *abundans traditionum paternarum æmulator.* Ille *minarum & cædis ſpirans Perſecutor*, qui Dei *Eccleſiam ſupra modum perſecutus*, eam expugnatum

a *Gal.c.1.v.15.* b *Aug: in le.t.4.*

gnatum extirpatumque ibat. Et momentô tamen in Agnum abiit ex Lupo, ſimul boni & benigniſſimi Paſtoris de Cœlo ſeu minas ſeu monita inaudiit: *Saule Saule: &c. Continuò non acquievit carni & ſanguini* quin manibus pedibuſque in vocantis voluntatem ſeſe reſignaret, mutato clypeo tantum de reliquo in Judaiſmum pugnaturus, quantũ ad id temporis eundem propugnaſſet. Idque non alio ex capite, quàm quòd *Conſcientiam ad Deum & homines habere ſine offendiculo ſemper ſtuduiſſet.*

Quiſquis hoc ipſum de ERNESTO dixerit noſtro, quod res eſt, dixerit, nihil auribus tribuendo: vtpote cui non minus periculi à carne, à ſanguine, quàm Paulo tunc à *Coœtaneis*

neis ingenere, à Sacerdotum Principibus, quorum legatione fungebatur, potuit imminuiſſe. Nunquid enim à ventre Matris, non ſegregatus eſt, qui à cæca parentum conſuetudine tam ſe animoſus expedivit? cum valere tenebras juſſit, in quas poſtremi & proximi progenitorum, nuper admodum à majorum ſuorum clariſſima Fidei luce, per fraudem ſunt abducti? cum carnalibus propinquis carnaliter ſuadentibus, aut prudentiſſime obſurduit, aut cordatiſſimè occurrit.

Et hoc quidem eo rerum ſtatu ac tempore, quo Adverſarii ſuarum partium non modica ſperabant incrementa; noſtrarum contra interitũ plus quam præſentem ſomniabant. An-

non

non debebat Princeps ERNESTUS conceptas bonæ mentis ſcintillas more aliorum non paucorum Magnatũ, idem quandóque parturientium, tantiſper ſub cinere fovere? quoad æſtus heterodoxorum, ab armis recens poſitis nondum planè ſopitus, magis ac magis deferbuiſſet? Aut ſpes illa, quæ modò in herba eſt, plenius in meſſem adoleuiſſet? Ita nec odio Acatholicorum ſeſe vnus vnicus obieciſſet, aut offenſam, ſi quampiam cum aliis incurriſſet, certè calamitatis optatum è conſortio plurimum levamen accepiſſet.

Hæ tales tam carnis quam ſanguinis argutiæ, quantumvis multis in arietem poſſint eſſe, quo animis dejecti concidant,

aut

aut ſaltem in ruinam inclinentur: Paulo tamen alicui, Paulive æmulo; ERNESTO dixerim noſtro, ut rigidiſſimo Conſcientiæ Cuſtodi in Fidei non leve ſerviêre ſtabilimentum. Vnde mirum non eſt, ſi libellus hic noſter Conſcientiæ Hunc ſibi è millibus Patronum vnicum vendicet: ſi de induſtria Huic ipſi divinitus ſervatus dicatur: Eique quàm demiſſiſſimè à nobis dedicetur, repetitis Prophetæ verbis: *Ecce quod remanſit*: Princeps Sereniſsime: *pone ante Te & comede; Tibi enim de induſtria ſervatum eſt.* Non Armum, ſed librum cape ſis, qui lectionem refectioni corporis frequenter præferre ſoles: librum accipe, non qualem Ioannes ab Angelo qui

ventrem

ventrem amaricari faciat: *a* (quod Patrono evenire poſſet, Conſcientiæ ſuæ parum ſtudioſo:) ſed ſimilem volumini, quod Ezechieli porrectum in ore fiebat ſicut mel dulce *b*.

Huiuſmodi noſter, quem offerimus, Liber eſt, qui tua non minùs mellita reddet legentis labia, quàm Dei èloquia Davidis fauces. Reddet enim teſtimonium Conſcientiæ tuæ de integritate, Tibique ſpem non dubiam ingeret de libro longè beatiſsimo: de libro Vitæ. Vale, Princeps Sereniſsime; & quam Drexelius ſcripto docuit, Tu factis excolere Conſcientiam, vti hactenus conſuevisti, ſtrenuè

a *Apoc.* 10. 9. b *Ezech.* 3. 5. c *Pſ.* 118.

Digitized by Google

nuè perſeuera. Neoburgi. Cal. Novemb. Feſto Die omnium Sanctorum. Anno 1652.

Serenitati Tuæ

Devotiſſimum

Collegium Societatis
JESU Neoburgi.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

Poſſet Antigrápheus Drexelij ſuppoſititius tibi videri, Amice Lector; quòd longe pòſt in lucem veniat, quàm poſthumi plures publicati, & opuſcula omnia in geminos contracta ſunt tomos. At vbi P. Philippi Allegambe de ſcriptoribus Societatis inſpexeris catalogum; & Iconem operibus Drexelij præfixam, facilè errorem, qui intervenerat, deprehendes: Nam ille tibi & Antigrápheum, & Iobum diſertiſsimis verbis promittit; & iſta vtrumque libellum per ſymbola clariſsimè repræſentat. Nihil enim vtrique deerat, eleganti charactere pro typo ab ipſo authore deſcripto, quàm quod frontiſpicio carerent, capitum inſcriptionibus, nec inſtar aliorum, compacti eſſent. Hic ludicrus error tam vtili ſcriptione te hactenus privavit. Tuum erit modò agnoſcere, & in horas proditurum etiam alterum, ſcilicet Iobum, benevolè acceptare. Vale.

Con-

CONSCIENTIA ſive ANTIGRAPHEUS HOMINIS.

CAPUT I.

Quid ſit Conſcientia?

NVllum animalium alteri tam diſsimile in multis atque homini Homo. Prima diſsimilitudo vultûs miraculum cenſeri poteſt. Nobiliſsimus encomiaſtes naturæ Plinius, vt rem miriſsimam obſtupeſcens: In facie, inquit, vultúque noſtro cùm ſint decem aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere, quod ars nulla in paucis numero præſtet affectando a.

Altera diſsimilitudo eſt affectuum humanorum. Vbi reperias alterum alteri propenſionibus, animi moti-

a *Plin. l. 7. Nat. Hiſt. c. 1.*

bus, affectionibus è toto ſimilem? Et quamuis plures eandem inhient voluptatem, non tamen eodem modo.

Tertia, nullus hominum ſimilis eſt alteri formâ modoque moriendi. Quod ii teſtantur, qui quotidie moribundis adſunt.

Quarta, Nemo alteri ſimilis eſt Conſcientiâ. Tot hîc differentiæ, quot homines. Id jam olim faſſus Origenes: Sicut facies, inquit, à facie differt, ſic corda, voluntates, virtutes, & fere conſcientiæ. Animi facies Conſcientia. Hanc inſpice & animum vidiſti.

Tarſenſis Paulus duo quædam à Timotheo ſuo exigens. Hoc, inquit, præceptum commendo tibi, fili Timothee &c. Vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam *a*. Fidem vivam ſine quâ nullus poteſt placere Deo. *b* Conſcientiam bonam, ſine qua nemo videbit Deum. *c* De conſcientiâ diſſe-

a 1. *Tim. cap.* 1. *verſ.* 18. b *Hebr. c.* 11. *verſ.* 6. c *Hebr. cap.* 12. *verſ.* 14.

Digitized by Google

fol. 24.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

diſſerere mihi animus eſt, ſed hac methodo. Ad ſingula capita ſcripturam & picturam, anteambulones ſequentium indices præmittam. Addam more meo exordiolum quod ſui capitis inſtitutum & thema compendio dicat. Hoc igitur primo capite, quid Conſcientia, quid Synteresis ſit, explicabo: Præmiſſis tamen, vt pollicitus ſum, ſcripturâ & picturâ indicibus eorum, quæ hoc capite dicenda.

SCRIPTURA.

Eſto Conſentiens adverſario tuo, citò, dum es in via cum eo. Math. cap.5. verſ. 15.

PICTURA.

Oculus è nubibus emicans cum his verbis; ſolus hic Conſcienttiæ Arbiter.

CONſcientia quid eſt? Dictamen, ſeu, Iudicium practicum rectæ rationis: ſæpe idem cum ſynteresi. Theologi tamen ita diſtinguunt.

Animus quidem naturâ ſuâ dividi nequit, verùm ob diverſas actiones diverſa ſortitur nomina, diciturque Intellectus, Ratio, Synteresis, Conſcientia. Sed ut diſcrimen inter ſynteresin & Conſcientiam vel ipſis oculis explicetur, hoc addamus.

Non inerudité ſynteresis comparatur ſcintillæ quam igniarius fomes concepit, conſcientia ſulfuratis ſchidiis quæ accenduntur: atqui plus certè luminis habent ſulphurata ſchidia, quám ſcintilla fomiti copulata. Et videte, quomodo hæc triplex animi facultas Synteresis, Ratio ſeu Intellectus, & Conſcientia inter ſe nexa ſint, quâ ratione ſyllogiſmus. Synteresis ait: Omne malum fugiendum: Subjungit ratio, ſed mendacium, fornicatio, furtum, adulterium eſt malum: Concluſionem addit Conſcientia, Ergo fugiendum. Hinc Conſcientia identidem hortatur & monet: Hoc age, hoc cave, hic contine, ab hoc abſtine, hoc fuge & execrare: Quod enim Synteresis in genere, hoc Conſcientia in particulari

lari vetat, vel imperat: quaſi à facie colubri fuge peccata. *a* Eodem modo ſynterεſis principium ſyllogiſmi hoc ponit: Divinæ Voluntati parendum in omnibus. Addit Ratio, ſed hoc voluntas divina imperat. Concludit Conſçientia; Igitur parendum ei. Hinc etiam, vt aliquibus placet, Conſcientia velut concludens ſcientia nuncupatur; Hinc nomina ſortitur tam diverſa. Nos ordine duodecim recitabimus; è quibus penultimum maximè obſervandum.

I. Conſcientia Liber ſeu Codex dicitur. Ita diſſerens de eâ Chryſoſtomus: Habeto, inquit, codicem Conſcientiam tuam, & ſcribe quotidiana peccata. *b* Fatali die mundi ſędebit judicium & aperientur libri, *c* Conſcientiæ omnium patebunt.

II. Lectulus. Rex David poſt flagitium geminum iam patratum: Lavabo, inquit, per ſingulas noctes

a *Eccl. c. 21. v. 2.* b *Chryſ. in Pſ. 50. Hom. 2. mihi pag: 852.* c *Dan. c. v. 10.*

noctes lectum meum. *a* Lectum tantum? Conſcientiam quoque ſordidatam, quæ his oculorum imbribus lavatur. Cæleſtis ſponſa: In lectulo meo, inquit, per noctes quæſivi quem diligit anima mea. *b* In lectulo ſponſum cæleſtem ſollicite quærit, qui conſcientiam noctu exacte diſcutit, & totum ſecum ipſe remetitur diem. De anguſtiore hoc lectulo Iſaias vates: Coanguſtatum eſt ſtratum, inquit, ita ut alter decidat *c*: Si Chriſtus lectulum conſcientiæ occupat, nulli vitio illic, nulli diabolo locus eſt: Exeſte monſtra. Tam diſpares inquilinos non capit una conſcientia. Nec in una ſede morantur Chriſtus & Belial. Vbi Chriſtus excluditur, ſatanas cum omnium vitiorum choro admittitur.

III. SPECULUM eſt Conſcientia, & quidem ſpeculum ſine mendacio, quod vel afflatu levi contaminatur. Hoc ſpeculum & pulchra & fœda repræſentat, laudat & objurgat. Nec enim tantum dicit: *Hodie te bene geſſiſti:* Sed exprobrat ac reprehendit:

a *Pſ.6.v.7.* b *Cant.c.3.v.1.* c *Iſa.28*

Digitized by Google

dit: Hodie lata culpa hoc neglexiſti, illud peſſime feciſti; ille ſermo tuus planè turpis, illæ cogitationes tuæ multum peſtilentes & impuræ fuerunt. Corrige potenter hos nævos, vide ut maculam tam multiplicem eluas, cave, poſt hac redeas in ſimili noxa deprehenſus. Hæc terſi illius ſpeculi non obſcura ſunt monita.

IV. Tela ſeu Byssus Belgica, quæ non modò labem & notam à vino vel cereviſia impreſſam horret, ſed ipſas etiam aquæ labeculas ſentit, & obtrudit: Hodie oculum licenter, ac petulanter evolare permiſiſti, ultra dimenſum comediſti, bis terve parcius loqui debuiſſes, ſemel nimium riſiſti, aliquoties quid orares non attendiſti; bis pauperi ſtipem, quam dare potuiſſes, negaſti. Ita Conſcientia non ſolùm flagitia grandiora, ſed & minores noxas reprehendit, & emendari præcipit.

V. Oraculum, eſt ſeu ſacrarium domeſticum *a*. In quo Deus ſæpiſſime dat reſponſa, præſertim rogatus, & explicat quid ſuæ ſit voluntatis.

a Hauß Capell.

luntatis. Ioſue à Gabaonitis veſtem, & alia mentientibus, deceptus, eos in partem fœderis admiſit, quod os Domini non interrogaverit b. Si recte loqui, ſi ſancte cupis agere, conſcientiæ tuæ ſacrarium adi, oraculum conſule, os Domini interroga, & reſpondebit tibi, quid te oporteat agere. Conſcientia tua divinæ voluntatis erit interpres.

VI. HOROLOGIUM, qualia ſunt quæ collo appendi ſolent, quæ campanula monent & indice nonnunquam mediis epulis, mediis choreis. Index iſtius horologioli ita loquitur. Hæc compotatio, hoc meri certamen, hæc helluatio & pergræcatio, hæ turpes facetiæ, hæc obſcena dicta, peccatum ſunt contra Deum. En indicem! Accedit campanula: cras etiam in corpore hoc lues, craſtina hoc & caput ſentiet & marſupium. Nimis caro emis pœnitere. Horum omnium Deo judici rationem reddes. En notas indicis, en ſonoras campanulæ voces, Conſcientiæ hortatus.

VII. Mu-

b *Ioſue. c. 9. v. 19.*

VII. Murus Aheneus eſt Conſcientia pura. Venuſino vati hoc tutò credamus.

Si rectè facies; hic murus aheneus eſto.

Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpa. a

Hac parte, ſi volumus, invulnerabiles ſumus. Pecuniam, famam, vitam eripere quis poteſt, aheneum hunc murum dejicere nemo poteſt. Conſcientiam recti quis mihi eripiat, niſi ego ipſe? Bona conſcientia murus impenetrabilis.

VIII. Gallus Cantans, idque diu noctuque. Petrus Chriſtum ſibi vaticinantē oculis ſiccis audiit; & non ingemuit: in area Caiphæ Chriſtum negavit, & non flevit; negationem jurejurando confirmavit, & non lacrimavit; perjurio confirmationem adjecit, & nihil doluit; Gallus cantavit, & amarè flevit. Tum demùm fluunt lacrimæ, cum Conſcientia ſuum ſibi auditorem vindicans, dirum flagitiorum carmen incipit cantare.

IX. Ca-

a *Horat. l. 1. epiſt. ad Mæcen. med.*

Digitized by Google

IX. CANIS etiam vocatur Conſcientia. Tobias natu minor profectionis longæ aſſiduum aſſeclam habuit canem. Ita ſacra pagina narrat: Profectus eſt Tobias, & canis ſecutus eſt eum *a*. Cumque jam redux è regione Medorum feſtinaret in patriam, Præcucurrit canis, qui ſimul fuerat in via, & quaſi nuntius adveniens, herilis filii præſentiam ſignificabat. Conſcientia canis vigilantiſſimus, præ illis Capitolii ſopitis vigilibus, cum hoſtem advertit, non pane, non carne, non arte ulla ſopiri ſe ſinit. Vigilat & latrat.

X. PÆDAGOGUS eſt, quod Origenes diſerte teſtatus: Conſcientia, inquit, corrector affectuum, pædagogus animæ. Laudatiſſimus philoſophorum Epictetus ſtylo prorſus Chriſtiano: Parentes, inquit, pueros nos pædagogo tradunt, qui ubique obſervet, ne lædamur. Deus jam viros conſcientiæ tradit cuſtodiendos. Quæ quidem cuſtodia nequaquam contemnenda, quoniam & Deo diſpliceret, & conſcien-

a Tob. c. 6. & c. 11.

tiæ

tiæ ipſi noſtræ hoſtes eſſemus. *a* Nemo Chriſtianus magis Chriſtianè dixerit.

XI. Antigrapheus eſt Conſcientia, & quidem accuratiſſimus, nihil hic ſcriba diſſimulat, fideliter notat, monet, vellicat, nec ſolum objicit quæ male commiſſa, ſed etiam quæ negligenter omiſſa ſunt. Officio ſuo fungens hic Antigrapheus: potuiſſes, ait, hoc non omittere, nil impar viribus feciſſes: Debuiſſes iſtud non facere, lex divina vetat, omnis ratio reclamat. Hæ iſtius antigraphei ſunt notæ. Et quod olim Pilatus, idem hic pronuntiat Notarius; Quod ſcripſi, ſcripſi. Æternum non deletur hæc ſcriptura: Venia quidem noxarum impetratur, ſed facti conſcientia non tollitur. Quod ſcripſit, ſcripſit.

XII. Deus eſt Conſcientia in humano corpore. Erudite cecinit Menander: Mortalibus cunctis conſcientia Deus. Cui accinens Theophilus Antiochenus: Bene, ait, quod Conſcientiam divinum quid eſſe viderunt,

a *Apud Stobæum ſerm. de Conſcientia.*

Digitized by Google

derunt, & non poſſe tale quid homini ab hominibus donari: ſed inſipienter, quod donum à donante non diſtixerunt. Bona Conſcientia per Orbem ſecura it ac redit: Mala conſcientia, præſertim quæ ſe tuetur mentiendo, per Orbem licet tuta eat, non redibit certe tuta. Quiſquis enim ſemel mentiri eſt auſus, ſæpius id feciſſe, ſæpius facturus, facile convincitur.

Ita Deus ſuum velùti proregem in homine collocavit, Conſcientiam. Mortalibus cunctis Conſcientia Deus. Ita Chriſtus Dei filius quemvis monuit: Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. *a* Quis adverſarius iſte? Conſcientia, inquit Athanaſius, ſeu lex Dei ſcripta in corde humano. Huic eſto benevolus & conſentiens. Compone, paciſcere, tranſige cum eo, præbe te illi amiciſſimum. Cùm enim creditor debitorem ad judicis tribunal trahit, matu-

re

a *Matth. c.5. v.25.*

re debitor ſibi ipſi conſulet, ſi cum creditore paciſci poſſit in via, ne ad Magiſtratum tractus compingatur in vincula, & ad noviſſimum quadrantem ſoluere jubeatur.

Vetus & notus ſcriptor rem narratu dignam memorans: Cum in cænobio, inquit, Firmini abbatis agerem, unus aliquis è latronum manipulo venit ad abbatem Zoſimum, rogavitque in domeſticum & incolam admitti, à flagitiis ſe aliter non temperaturum. Admiſſus eſt. Non ita multo poſt abbas Zoſimus humaniter illum affatus: Mi frater, inquit, in hoc monaſterio vix diu ſecurus eris, cædibus jam infamis ad macellum extraheris. Ducam te igitur Gazam ad monaſterium abbatis Dorothei. Ductus eſt. Hic novennio agens omnes ſanctiſſimi Davidis Hymnos *a* memoria complexus, quidquid eſt rituum inter monachos, addidicit. Exacto novennio, conſcientia etiamnum ſtimulante, ad Zoſimum abbatem rediens: Oro te Pater, inquit, profanam mihi veſtem redde;

a Den gantzen Pſalter.

de; hic perſiſtere non ſinor. Eccur obſecro, ait Zoſimus, quid te injuriarum hinc expellit? Num religioſa vita paullatim deſipit? Num te frangit corporis afflictatio? Cui religioſus latro: nil horum eſt, inquit, mi Pater, quod ad abitum me rapit. En novennium jejuniis, obedientia, precationibus, continentia tranſegi, nec dubito, quin bonus Deus flagitiis meis veniam conceſſerit. Nihilominus urit me Conſcientia & fodicat, & urget: Videor mihi ante me videre puerulum, quem inter cæteros occidi, qui mihi dicat. Cur me occidiſti? Hæc ſpecies aſſidue obverſatur oculis: Hæc in templo, in cubiculo, in triclinio, in horto, in ipſo cæleſti convivio, inter orandum, inter legendum, pſallendum, laborandum identidem me vellicat, & illas voces oggerit aſſidue: Cur me occidiſti? Quapropter decretum eſt mihi, magiſtratum & judices ultro adire, & me occidendum ſiſtere, ut moriar pro puerulo quem ſine ulla cauſſa occidi. Saltem hoc modo

C vultu

vulturis me lacerantis ungues exarmabo. Fecit quod ſtatuit. Dioſpolim abiit, magiſtratui ſe ſtitit, in vincula ductus, & capite plexus eſt *a*. Vis ingens conſcientia. Antigrapheus accuratiſſimus, adverſarius acerbiſſimus eſt Conſcientia. Ideo Chriſtus ſuadet & hortatur: *Eſto conſentiens adverſario tuo*: cum hoc antigrapheo conveni, & litem compone. *Citò*: ne forſan hinc ſubito auferaris à morte. *Dum es in via cum eo*: dum vivis, dum ad Chriſti tribunal pergis. *Ne ſorte tradat te adverſarius judici*: quod certo fiet, niſi mature ita cum eo tranſigas, ut illum tibi concilies. *Et judex tradat te miniſtro*: Diabolo carnifici, juſtitiæ divinæ miniſtratori. *Et mittaris in carcerem*: non catenis ſolum, ſed flammis horrificum, in quo habitat æternitas. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſsimum quadrantem.* Summo & ſtrictiſſimo jure tecum agetur. Teruncius vel minimus erit ſolvendus. Ad aſſem pendes omnia.

Ite mortales, & vitam voluptatibus

a Io. moſchus c. 166.

bus traducite; Antigrapheus veſter vigilat, & quicquid cogitatu, dicto, facto delinquitur, ſedulitate aſſidua notat, non tam ut antigrapheus, quam ut adverſarius acerrimus. Quivis viderit, qua ratione cum hoc ſuo antigrapheo & adverſario, dum licet, conveniat. Habemus Dei vicarium & proregem in cordibus noſtris, Conſcientiam noſtram. Qui rebellis eſt Conſcientiæ, nec obtemperat Deo.

CAPUT II.

Conſcientia bona, theſaurus maximus, ſummum gaudium.

DIctaverat Deus ſummi ſacerdotis veſtem, tunicam hyacinthinam, ad veſtis oram juſſerat appendi aurea tintinnabula, interjectis alternatim malis punicis ex eodem metallo. Gregorius Nyſſenus myſterii hujus interpres: Aureis, inquit, campanulis vera fides ſignificatur. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum *a*.

a *Rom. c.* 10. *v.* 18.

Mala verò punica ex auro, Conſcientiam puram deſignant. Quæ duo Paulus, ut ſupra diximus, commendat intime: Fidem vivam, & bonam conſcientiam.

Quid ſynteresis, quid Conſcientia, quam diverſa Conſcientiæ ſint nomina, explicatum eſt. Præſertim antigrapheum *a* animo imprimendum monuimus, qui nihil diſſimulat, omnia obſervat, non raro minima quæque notat. Progredimur, oſtenſuri ſummum in Orbe hoc noſtro bonum eſſe, bonam conſcientiam, theſauris & gaudiis omnibus antiſtare.

a Der Gegenſchreiber.

S C R I P T U R A.

Secura mens quaſi juge Convivium. Prov. 15. v. 15.

P I C T U R A.

Chriſtus in corde ſedens læva librum tenet, oris autem amœnitate & ſublatâ dexterâ modulos parat.

SAlomonis oraculum eſt: Omnes dies pauperis, mali: Secura mens quaſi

fol. 36.



Digitized by Google

Digitized by Google

quaſi juge convivium. *a* Mens ſecura, eſt Conſcientia à gravioribus noxis libera.

Hæc ſibi domi plaudit, hæc ſibi canit & Deo. Bona conſcientia rectæ rationi ſemper conſentanea, & divinæ voluntati in rebus omnibus ſubjecta eſt. Hic edax vultur, hic erodentes vermes nil loci habent; hic convivium beatum, ſuave, diſſidiis nullis interruptum, perpetuum. Quæ Conſcientiæ tam tranquillæ ſint dictamina, quæ ſigna, ſuo loco, & tempore ſuggeremus.

Multa ſomniarunt priſci de Ambroſia & Nectare. At nugamenta & fabula omnia. Ambroſiam & Nectar nullus uſpiam cauponum vendit, ſola ſuo domino Conſcientia has delitias propinat: Hæc illius promus & condus eſt. *b* Erectæ conſcientiæ homo, lætiſſimus canit: Nihil mihi conſcius ſum; in divinam voluntatem ſumma devotione feror, Deo meo toto animo vereque fido, hinc mihi faventem Deum promitto. Hoc nectar & Ambroſia. Hinc naſcitur,

a *Prov. c. 15. v. 15.* b Kelleter.

citur, ut Petrus Cellenſis abbas teſtatur, ſabbatum ex ſabbato, convivium ex convivio continuatione gaudii, uti inter filios Iobi *a*. Promtuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud *b*. Hic liquida & pura voluptas, hic gaudium & triumphus, hic exultatio & lætitiæ cumulus, hic vere gaudetur in ſinu, quoniam ſecura mens juge convivium.

Plutarchi & Plinii *c* Elogiis celebratiſſima herba eſt Nepenthes, jam olim ab Homero plurimum laudata. Hæc poculis, ut ajebant, addita, omnem tollit convivii triſtitiam. Veriſſimum Nepenthes eſt bona conſcientia, omnem vitæ ſollicitudinem pellit, omnem abolet mœſtitiam.

Petrus Cellenſis, quem dixi, hoc etiam poculum ſubminiſtrans. Bona, inquit, conſcientia, eſt ſcyphus Ioſeph, in quo augurari & inebriari ſolet animus. Erudite & appoſite. Siquidem Ioſeph augurabatur & naturaliter divinabat, cum ſuorum convivarum prudentiam, arcana, temperantiam,

a *Pet. Cel. libel. de Conſc.* b *Pſ. 143. v. 13.* c *Plin. l. 21. Nat. hiſt. c. 21. med. Hom. Od. 4.*

Digitized by Google

perantiam, pleno ſcypho exploraret, uti Ephrem Syrus aliique id explicant. Erecta & hilaris conſcientia aureus eſt Scyphus, quo auguramur & divinamus non imperite, nobis cum Deo amicitiam eſſe, Deumque nos in ſuis habere. Hinc certe animum dulcis tranquillitas perfundit. Quod Ambroſius confirmans: Quis, inquit, puritate pectoris, dulcior fructus, quis cibus ſuavior, quam is, quem animus bene ſibi conſcii, & mens innocentis epulatur *a*. Secura mens juge convivium.

Neque muſica deeſt huic convivio, ubi cantum & modulorum numeros moderatur Chriſtus. Citharædi ſeptem Germanis muſica cenſetur optima *b*. Compone citharædos mille, nil erunt ad illam bonæ Conſcientiæ muſicam. Siracides dilucide hoc teſtatus. Non eſt, inquit, oblectamentum ſuper cordis gaudium *c*. Gaudere in ſinu ſuaviſſima eſt muſica.

Cum Themiſtocles ad Theatrum

a *Ambroſ. in pſ. 35.* b Iſt nichts über ſieben Lauten. c *Eccli. c. 30. v. 17.*

ſpectaturus iret, familiariter interrogatus eſt, cujus fidicinis vocem, quam muſicam gratiſſimis hauriret auribus? Illam, ajebat, quæ meas laudes decantat. Quid laudum & encomiorum homo Chriſtianus ſuavius & honeſtius audiat, quam quod bona recitat conſcientia, quæ ſolum laudanda laudat. Laus hominum cantio frigidiſſima ſæpius falſa, nihili facienda; laus Conſcientiæ laus vera, muſica dulciſſima, ſummi æſtimanda. Revera Paulus hanc Conſcientiæ harmoniam, hunc concentum ejus jucundiſſimum vel mille citharædis præferens: Gloria noſtra hæc eſt, inquit, teſtimonium Conſcientiæ noſtræ. *a*

Et quamvis latratus canum, aut luporum vlulatus hanc muſicam quandoque interſtrepere ac turbare videantur, Conſcientia tamen clamore prævalet, nec turbatur turbis, quamcunque abſonam vocum confuſionem ſuperat. Quo in genere Conſcientia velut echinus eſt inter allatrantes canes, qui aculeos explicat,

a 2. Cor. c. 1. v. 2.

cat, ſpinas erigit, in ſecurum ſe globum convolvit, & hoſtem provocat, quaſi diceret: Huc adſit, cui pugna placet; Congrediamur: os cruentum mox referet quisquis vicinior acceſſerit. Ita illa inter convicia & contumelias, inter opprobria & calumnias, inter terrores & minas erecta & hilaris ſermones hominum malevolos, velut minorum canum latratus, ſpernit; ſeipſam his animat: Non eſt quod cures iniqua hominum de te judicia; ululent lupi, latrent canes, vano morſu in te ſæviant, dentes non infigent. Contemne iſta, ad unum reſpice Deum, unum illum attende. His ſemet Conſcientia ſolatur & erigit. Huc noti ſcriptoris monitum ſpectat: Fili, humanum ne metuas judicium, ubi te Conſcientia pium reddit & inſontem *a* Secura mens juge convivium ab hoc convivio facilis in paradiſum tranſitus eſt.

Iucundiſſimam hanc conſcientiæ tranquillitatem guſtans Auguſtinus: Lætitia

a b *Thomas de Kemp. l,3. de imit. Chriſti:* c.36.

Digitized by Google

Lætitia bonæ conſcientiæ, inquit, Paradiſus eſt. Tranquillitate conſcientiæ nihil excogitari beatius poteſt. Verius atque jucundius eſt, gaudere hominem de bona conſcientia inter moleſtias quam de mala inter delitias *a*.

De liquidiſſima bonæ Conſcientiæ voluptate Bernardus eximie: Conſcientia, inquit, cordis ſcientia; quando cor novit ſeipſum, appellatur conſcientia; quando præter ſe alia, nominatur ſcientia. Conſcientia bona, titulus eſt religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus delitiarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, Arca fœderis, theſaurus regis, Aula Dei, habitaculum ſpiritus ſancti, Liber ſignatus & clauſus, in die judicii aperiendus *b*. Paria cum Bernardo ſentiens Chryſoſtomus:

Hæc omnia luculente confirmans Siracides: Bona eſt, inquit, ſubſtantia,

a *Aug. l.* 21. *de Civit. & l. de Catechiſ. Rudib.* b *Bern. l. de Inter. domo*, c. 22. *Chryſoſt. tom.* 5. *mihi pag.* 347. *& pag.*

tia, cui non eſt peccatum in conſcientia *a*.

Tutiſſimum ergo gazophylacium, ſummus in hoc orbe theſaurus, ſanctiſſimum ſimul ac opulentiſſimum ærarium pacata Conſcientia. Etiamnum mihi in mentem eſt Bernardus, qui conſcientia bonam omnibus theſauris præferens: Nihil eſt jucundius, ait, nihil tutius, nihil ditius bona conſcientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura. Futuræ beatitudinis non eſt utilius remedium, nec certius teſtimonium bona conſcientia. Cum Mundus circum rotetur, ploret, rideat, tranſeat, pereat, nunquam marceſcit bona conſcientia. *b* Hæc Bernardus veriſſime dixit nequaquam nimius in laudando. Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium: ſecura mens juge convivium.

Reperias hominem qui undequaque infelix & miſer eſt, fortunis & bonis omnibus evolutus fodere non valet, mendicare erubeſcit, favore prin-

a Eccli. c. 13. v. 30. b *Bern. l. proxime laud.*

principum omni deſtitus, omnium odio exagitatur, ſed gratis; inſuper ægro corpore diverſos patitur dolores; honore priſtino ſpoliatus inter poſtremiſſimos jacet, & rebus omnibus urgetur, nam plurima ſunt quæ illum eant depreſſum; nihilominus ſi hunc ipſum hominem, vndique calamitoſum, bona Conſcientia non deſerat, etiamnum ſat felix eſt; adhuc ſerenam ad DEUM frontem audet attollere, locum adhuc reperit, in quo illi bene ſit, nimirum in ſeipſo.

Fit nonnunquam cùm æſtivi ſoles ſunt flagrantiſſimi, vt homines æſtus impatientes ſudore diffluant penéque corruant. Eſt tamen nonnemo, qui in ſuâ domo gelidam vmbram reperiat, eóque recens è cellâ vinum adferri iubeat. Huic homini, mihi credite, in æſtu ſummo bene eſt, recentem potum & algidum habet locum; itàque valet & viget cęteris in æſtu ferè tabeſcentibus. Ita prorſus ſunt homines, de quibus Salomon: Omnes dies pauperis, mali: *a* Homines fortunis exhauſti, curis op-

a *Prov, cap.* 15: *vers.*

opprefsi, lacrimis infuſi, rebus adverſis vndique afflicti; hi nihilominus, lætante ſunt animo; Conſcientiam habent bonam, Deum ſibi credunt benevolum, quis eſt qui illis noceat? Ruat orbis, impavidos ferient ruinæ. Et hoc clariſsimè Bernardus exprimens: ſubjiciatur, inquit, corpus in pœna, in jejuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo diſtendatur, gladio trucidetur, crucis ſupplicio affigatur, ſecura erit conſcientia. *a* Secura mens, juge convivium, theſaurus maximus.

De pallio ſanè admirando, & vltra quam æſtimari poſſit, pretioſo, tuum mi lector, judicium conveniam; ſcito fuiſſe pallium holoſericum, laciniosum, *b* purpureum, phrygionis acu partem maximam pictum, extremitas omnis & margo pallii malis punicis ex auro ſolidiſſimis, non cavis, & arctè junctis veſtita: Quid tibi videtur de hoc pallio? eſt, non dubitem, qui dicat: Majores ego divitias non optaverim, quam ſi tale mihi pallium donetur; Quis autem ille tam

a *Bern. dicto. l.* b Gloggenweit.

tam validus, qui moli tam pretioſæ ſic ferendo? Bajulorum ſatis, nemo dubitet, ſeſe offerent paratiſſimi huic oneri portando etiam ſuccumbere, etiam immori. Notus à tali geſtatione Alcmæon, quem Herodotus depingit, cui Cræſus rex tantum auri donavit, quantum aſportatione una poſſet auferre *a*. At ille rerum ſuarum ſatagens ocreas prægrandes, tunicam multiplici ſacculorum contignatione ampliſſimam, manicas laxiſſimas, thoracem & pileum capaciſſimum, quæ omnia aurea moneta arcte farſit. Neque hoc ſatis, ipſum os implevit. Ita demum è gazophylacio progredi conatus vix pedem potuit protollere: demum reptando potius quam gradiendo, maximum ſed amabiliſſimum onus aſportavit: Ita pallium illud perquam pretioſum etſi ponderoſiſſimum, geſtatores & doſſuarios reperiret plurimos, qui beatos crederent ſub onere tam charo deficientes: Ita prorſus homo patiens licet miſeriis, calamitatibus, ærumnis plurimis deprimatur,

a *Herod. l. 6. Erato.*

tur, ille tamen erigit ſe, contraque it audentior; pallium holoſericum acu pictum, tot poma ex auro facta pallio appenſa, conſcientia noxarum & ſcelerum pura ſolatur & recreat. Huic homini quantumvis calamitoſo bene eſt, hic beatus eſt, quomodocunque demum res cadant. Ridet ille fortunæ furias & omne diaboli vaframentum generoſa mente deſpicit, quem conſcientia bona voluptate pacis & veræ ſpei perfundit.

Iſidorus, cum Bernardo, quemlibet lætitiæ inhiantem interrogat: Vis nunquam eſſe triſtis? Bene vive. Bona vita ſemper gaudium habet; conſcientia Rei ſemper in pœna eſt *a*. Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit *b*. Iuſtus eſt qui conſcientiam rectæ rationi conformem, qui voluntatem divinæ voluntati habuerit ſubjectam.

Hinc nobiliſſimus martyr Tiburtius cùm à Torquato judice tormentis variis afficeretur, auſus eſt dicere: Applica equuleos, ſuſpendendos Chri-

a *Iſid. l. 2 ſoliloq. & Bern. de inter domo 45 c. initio.* b *Prov. c. 12.*

Chriſtianos; percute, damna, incende, univerſa denique ſupplicia admove, decerne quicquid libet, omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura comes eſt conſcientia *a*. Secura mens juge convivium.

Quisquis in hac vita epulum deſiderat nunquam interrumpendum, quicunque cælum extra cælum, quiſquis tranquilliſſimam intra turbas beatitudinem anhelat, hoc unice agat, ut pura ſit Conſcientia. Hæc ſummum gaudium, maximus theſaurus, epulum eſt ſuaviſſimum, perpetuum. Cui conſcientia eſt pura, miſerias & calamitates univerſas multò facilius tolerat: nam admirandum illud pallium geſtat, quod ei oneri non eſt, ſed oblectationi. Homo tranquillæ conſcientiæ verè dives, vere beatus eſt. Militemus, hortante Paulo, bonam militiam, habentes fidem & bonam conſcientiam. Conſcientiæ puritas, vitæ felicitas.

a *Cornel. epiſt.* 132. *l. in.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT III.

Conſcientia rea, tormentum graviſſimum.

HEbræus Rex Achab, quod Regum fâſti dicunt, Micheam vatem graviſſimis verbis obſtringens: Iterum atque iterum adiuro te, inquit, vt non loquaris mihi, niſi quod verum eſt, in nomine Domini. Cumque reſpondiſſet Micheas, quod minus placuerat, Achabus ad regem Ioſaphatum verſus: nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum. a Conſcientia, de quâ ſermonem inſtituimus, ſubinde nomen ſortitur injurioſum ſibi, cùm appellatur mala conſcientia, vti dicitur, Vxor mala. Quemadmodum autem Achabus rex injuriam intulit Micheæ vati, cui opprobravit in os, quod ſibi nunquam niſi malum vaticinaretur: Ita prorſus Conſcientia immeritò vocatur mala, quæ veritatem non diſſimulat, quæ peccata

a 3. *Reg. cap. vltim. verſ.* 18.

Digitized by Google

omnium malorum vere maxima mala, exprobrat, quæ libere objurgat, quæ virtutem ſine aſſentatione laudat. Hæc ſanè non mala eſt conſcientia, licet ea in hominibus malis, imò peſſimis quibuſque inveniatur.

Nihilominus nos eam ſequemur legem, quæ docet, *ſapere cum paucis, loqui cum multis*. Quando igitur Conſcientia dicitur mala, quæ ſuum Dominum patrati mali arguit, nos eam etiam hoc nomine quamvis minimè proprio compellabimus. Superiori capite quantum ſit gaudium Conſcientia bona, explicatum eſt, hoc porrò quantum ſit tormentum Conſcientia mala, exponemus.

SCRIPTURA.

Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.
Rom. 2. v. 9.

PICTURA.

Cor apertum, & in eo Gallus gallinaceus, Canis, ſimia, ſerpens.

CONſcientia mala tormentum graviſſimum. Parricidæ olim in culeum

fol. 50.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

culeum unà cum ſimia, gallo gallinaceo, & ſerpente inſuebatur & ſpargebantur in mare, vnde Poëta de Nerone.

Quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre
Neroni.
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus
unus a.

Dignum tanto facinore ſupplicium. Homo ſibi peſſimè conſcius, ſerpentem, ſimiam & gallum gallinaceum, animantes ſcilicet amiciſſimas in animo digladiantes ſentit. Quod priſci ſapientes non ignorarunt. Seneca hac in re teſtis locupletiſſimus: Hîc, inquit, conſentiamus, mala facinora conſcientiâ flagellari, & plurimum illi tormentorum eſſe, eo quod perpetua illam ſollicitudo urget ac verberat. *b* Orator Tullius cùm Sextum Roſcium defenderet, de Cæliis fratribus mentionem injiciens: ſua quemque fraus, inquit, & ſuus

a *Iuven. ſat.* 8. b *Sen. epiſt.* 97. *mihi pag.* 610. *fine, & epiſt.* 105. *mihi pag.* 105 *fine.*

ſuus terror maximè vexat; ſuum quemque ſcelus agitat, ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent. *a* Inſignißimè dixit Suetonius in Tiberio: nihil eſt miſerius quam animus hominis, conſcius. Sed omnium optimè dixit Seneca Philoſophus: prima & maxima peccantium pœna eſt, peccaſſe, nec ullum ſcelus impunitum eſt. Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit. *b* Quid elegantius, quid verius? Reverâ ea eſt indoles nequitiæ, vt ipſamet ſui veneni quod miſcet, maximam partem ebibat. Quod Severinus Boëthius non minus eleganter. Nequitia ipſa ſibi ſupplicium eſt. Deſit carnifex, deſit omnis tortor: qui nequam eſt, ſuus ipſe & tortor, & carnifex eſt.

Narrat Plutarchus Apollodorum hominem avarum & crudelem ſomniaſſe à Scythis ſe lixari prius, dein excoriari, & ex ipſo lebete cor ſibi dicere: Ego tibi horum omnium cauſſa ſum. Et videte, vt diabolus miſeros

a *Cic. pro Sex. Roſc.* b *Sen. epiſt. cit. & ep. 81, mihi pag. 540.*

ſeros idololatras faſcinarit! Pauſanias juvenis Byzantij virginem deperiit, quam etiam celando crimini pòſt interfecit. Hęc dormienti ſæpius ſeſe ſpectandam exhibuit, dixitque.

Perge ad ſupplicium valde eſt damnoſa libido.

Nec deſiit mæſta hæc ſpecies pavefactum juvenem obturbare. Heracleam igitur locum procurandis manibus deſtinatum navigans, puellæ manes inferiis evocavit. At illa hanc Conſcientiæ intemperiem prædixit finiendam, ubi Spartam veniſſet. Reverſus Spartam Pauſanias, continuò periit. Vide Delr. p. 312.

Monſtrum immane Nero, Agrippinâ matre in navigio ſolutili occiſâ, quod Dio refert, eas conſcientiæ furias eſt paſſus, vt nullo amplius loco, matre ſemper obverſante interquieſcere potuerit. Rex Macedo Alexander, Clyto per vim occiſo, illos conſcientiæ ſtimulos ſenſit, ut conſilium ceperit ſeipſum interficiendi, modò illos conſcientiæ morſus

exiret: Ita & Oreſtes Clytemneſtrâ matre interſectâ, ſollicitante Conſcientiâ in rabiem eſt actus. Euripides hujus tragœdiæ ſcriptor quærit: O miſer Oreſta, quid morbi te perdit? Cui Oreſtes: Conſcientia; ſum enim mihi conſcius de malis perpetratis. Ita & Ericus Suecorum rex, Guſtavi ſucceſſor, cùm præceptorem ſuum hominem ſexagenarium pugione confodiſſet, furiatâ conſcientiâ pænè ad inſaniam redactus eſt, ut Florimundus Remundus memorat. a

Innumera talia. Veriſſimum quod priſci uſitato metro ferebant.

Bene nemini eſt nocenti, nemini malè
eſt probo. b

Nec minus verum eſt, quod ſatyricus vetus Orbi occinit.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori. Prima eſt hæc ultio, quod ſe
Iudice, nemo nocens abſolvitur; improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urnâ.

Cer-

a *Flor. l. 4. de ortu hæreſ:um cap.* 16. *n.* 3.
b *Troch. vet.*

Certiſſimum: Nemo gerit crimen in animo, qui non Nemeſin in tergo. Quod Heſiodus eleganter hac ſententiâ expreſſit: Cognatum eſt omni ſceleri, ſceleris ſupplicium. Cruciarii Romani cum ducerentur, ſuam ipſimet ferre crucem cogebantur, antequam in eâ penderent; ita Deus malè agentibus, hanc conſcientiæ furcam imponit, non ſine gemitu portandam, vt vel reſipiſcant, vel æternum in eâ pendeant, in orco crucifixi. Mala conſcientia tormentum maximum.

Qua in re mirificus eſt priſcorum Patrum conſenſus. Ponderoſiſſima ſunt Auguſtini verba, quæ pro tanti viri honore, optima fide curaque ſingulari ſoleo exſcribere. Ita ille in pſalmos: Veruntamen chariſſimi, ait, inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major tribulatio, quàm conſcientia delictorum. Quo confugiet, cum cœperit pati tribulationes? fugiet ab agro ad civitatem? à publico ad domum? á domo in cubiculum, & ſequitur tribulatio. A cu-

a *Iuven. ſat.* 13.

biculo jam quò ſugiat non habet, niſi interius ad cubile ſuum, &c. Et ecce hoſtem ſuum invenit, quò confugerat. ſeipſum quò fugiturus eſt? Quocunque fugerit ſe, talem trahit poſt ſe: & quocunque talem traxerit ſe, cruciat ſe. Sed à ſeipſo ſunt tribulationes quæ inveniunt hominem nimis, acerbiores enim non ſunt. tanto autem ſunt acerbiores, quanto ſunt interiores. *a*

Breviter Hieronymus ſed nervoſe: Quot, inquit, vitia, tot invenies animæ tormenta. Hieronymo & prioribus omnibus accedens Gregorius ingenuè pronuntiat: Conſcientia mala omnium afflictionum maxima. Nam inter multiplices animæ humanæ tribulationes & innumerabiles afflictionum moleſtias, nulla eſt major afflictio quàm conſcientia delictorum. *b* In expedito eſt ratio, ſi namque homo exterioribus urgeatur calamitatibus, ad interiora ſe recipit, intra ſeipſum ſeſe involuit, hîc Deum invenit, ſi intus etiam pax nulla, ſauciata conſcientia, excluſa ſit

a *Aug. pſ.45.* b *Greg. in pſ.142, v.21.*

Digitized by Google

ſit Dei gratia, jam omne ſolatium homini ademptum eſt.

Hoc autem homines conſcientiæ ſanctioris, ſat ſcio, non credunt, quia hoc tormentum vulnerati non ſentiunt. Sed iſtud utique Bernardo credent, qui diſtinctiſſimè: Nulla, inquit, gravior pœna eſt pravâ conſcientiâ. Mala conſcientia propriis agitur ſtimulis. Si publica fama te non damnat, propria conſcientia te condemnat, quoniam nemo poteſt ſe-ipſum fugere. *a*

Chryſoſtomus prout oris apertiſſimi orator fuit, liberè dixit: Quid improbâ conſcientiâ moleſtius? quid ſpe meliori ſuavius? Nihil profectò. *b* Qui in vinculis eſt, (auſus capitalia,) jam certus mortis, cui ſupplicii dies jam dictus, hic profectò non ſolet eſurire, quamvis ei epulæ apponantur exquiſitiſſimæ, hoc unum cogitat: Cras ducar, cras pendebo. Hæc illum una cogitatio cogit mori ante mortem: ſic homo reæ conſcientiæ capitali carcere concluſus

a *Bern. de inter. domo cap.* 45. b *Chryſ. ſermo* 5. *ſerm. de nequitiâ depulſâ.*

Digitized by Google

cluſus eſt, quocunque tendat, quaſcunque terras adeat, ſecum fert carcerem, malam conſcientiam.

Carthuſianæ familiæ religioſi viri, ſub candida veſte perpetuis utuntur ciliciis, quæ noctes ac dies moleſta ſint, & mordeant. Rea Conſcientia ſetoſum, hiſpidum, juge cilicium. Non eſt pax impiis, non eſt dicit Dominus. *a* Priſci ut hæc oculis ſubjicerent, pingebant Prometheum ob ignis furtum in monte Caucaſo ligatum ab Aquila. Titium apud inferos à vulture, Actæonem in ſilvis á canibus lacerari. Hæc Aquila, hic vultur, hi canes, mala conſcientia eſt, quæ aſſiduè mordet, rodit, lacerat. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. *b*

Minuta prorſus animalcula ſunt, & quæ pæne oculorum fugiant aſpectum, tinea & teredo, nihilominus à tinea veſtes, à teredine conſumuntur trabes, ob aſſiduam diu noctùque roſionem: Ita conſcientia flagitiis infecta non facilè unquam feriatur, vel-

Il-

a *Iſ. c. 48. v. ult.* b *Rom. c. 2.*

licat, rodit, mordet, pungit, lacerat. Quod Iſaias prædixit: vermis eorum non morietur. *a* Ideò morſus malæ conſcientiæ, guſtulus & prælibatio eſt gehennæ, ubi vermis eorum non moritur, quod beatus Marcus iterum iterumque ac tertiùm unico in capite inculcat. *b*

Hic conſcientiæ vermis plus habet periculi & doloris quā paronychia vel phagedæna. *c* Et niſi maturè perſanetur malagmate pœnitentiæ, in extremam rabiem accenditur. Hic vermis Caino totum terrarum orbem reddidit anguſtum, hic vermis Iſcariotem adegit ad reſtim, hic vermis innumeros alios aut aquis, aut laqueo, aut præcipitiis, aut diſtricto ferro objecit. Iam olim minatur Siracides: vindicta carnis impii ignis & vermis.

Audite mira, inaudita. Joannes Taulerus Theologus e beati Dominici diſciplina, quem Ballarminus concionatorem piiſſimum appellat,

a *Iſ. c. 66 v. 2 ult.* b *Marc. c. . v. 3.*
c Wurm im Finger/oder Geſchwer das biß auffs Bein hinein frißt. d *Eccl. c. 7. v. 1*[illegible]

rem ſanè tragicam, & eventus horribiles, narrat hac tali præfatione: Non ſomnium aut fabulam, ſed rem geſtam, quam ipſe deprehendi, narrabo vobis, è quâ diſcere licebit, quid vulnus Conſcientiæ, & quid peccatum ſit luxuriæ. Cùm annum, inquit, trigeſimum agerem, à majoribus meis ad ſtudia miſſus ſum, (locum cautè ſilet.) Eò loci in mercatorum duorum familiaritatem veni: uterque cum uxore familiam ducebat, uterque ſibi amore mutuo conjunctiſſimus. Alterius Vxor Theologum illum, quem dixi, & virum religioſum adiit: Oculi copioſis lacrimis oppleti, etiam ſine voce præfari cœperunt, quid vellet. Secuta vox ſingultiens & interficiens verba: Et, ò mi Pater, ait, femina ego ſum flagitiis cooperta. Ita lacrimis os ſibi totum opplens, fletu prohibita eſt loqui. Taulerus cauſſam mæroris rogans: Quid te, inquit, ô mulier adeó affligtat? divina miſericordia non ſolùm magna, ſed & infinita eſt. Ad quem illa: Filiam habeo adulterinam & ſubditam. Dein narratio-

nem

nem orſa, quid ante annos quindecim contigiſſet, expoſuit ordine. Addidit & illud: Intereà temporis ſacram menſam toties acceſsi, & peccatum illud ſemper ſuppreſsi, non melior proditore Judâ. Cui Theologus: Dic enim veritatem, ſi quidem juvari velis, num ſæpius, id criminis commiſſum eſt? ſemel duntaxat, ait femina, & ambo aliquot florenorum millia facili manu expenderemus, modò rem factam liceret reddere infectam. Taulerus, vt opem ferret rebus afflictis. Hoc, inquit, conſilii tibi do; vide, quî mollem viri mariti, aditum explores, & illi hoc in ſecreto indices. Mox femina: Non audeo, inquit, in hujus rei conſcientiam maritum admittere; ambos, & me & criminis ſocium occideret. Ergo, ait Taulerus, hoc modis omnibus age, vt filia tua ſe Deo conſecret, & in Virginum collegium tranſeat, cavendæ in veros hæredes injuſtitiæ. Actum; ſucceſſus nullus. Nam putatitius filiæ parens nullis rationibus perſuaderi potuit, vt ſineret Filiam virginitatis ſponſione in religioſâ

fan-

familia ſe obligare. Nec tamen monere ceſſans, urgere Theologus: Dic iſtud viro, ajebat, dic ſuaviſſimè ſaltem antequam nubat filia. Sed miſella Femina, de his nec mutire auſa, factum gemebundo ſilentio preſſit. Tandem Mercator alter, verus Filiæ Parens, Filium ſuum cum hac ipſa virgine, quæ prioris mercatoris illius putabatur eſſe Filia, & erat alterius, cujus & Filius Sponſus, nuptiis copulavit. Ita Soror Fratri nuptum eſt collocata. Taulerus maximam iniquitatem intelligens multa tentavit, nil profecit. Interim domum avocatus rem Superis, cum aliter mederi malo non poſſet, commendavit. E literis tamen poſt reſcivit, calamitates & tragœdias hinc enatas non unas, atque matrimonium illud tam inauſpicatum, pro merito ſuo, infeliciſſime ſucceſſiſſe.

Hinc primo licebit diſcere, quam malorum Lernam Luxuria, quàm invehat adulterium flagitia abominanda. Mi Deus! quot ejuſcemodi caſus, quantæ, & quam crebræ committuntur

tur injuſtitiæ his ſolis ſceleribus deteſtandæ Veneris! Supremus judicii dies deteget, & in oculis omnium collocabit, quicquid furtiva libidine patratum eſt; aperientur libri, pandentur conſcientiæ, omnia in lucem emergent clariſſimam. Orbem, eheu, univerſum ignis libidinum involvit. Ah caveat, quiſquis cælum amat, ne Deus de illo cogatur dicere: Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia Caro eſt. Non ſine cauſa Nicetá orbi propoſui qui morbos ſimul & remedia luxuriæ doceret. Ad hunc, mi Lector, te pátere ablegari. Libido, peſtis nocentiſſima eſt.

Hinc ſecundo etiam diſcendum, quam vigilantis memoriæ ſit conſcientia, quæ poſt quindecim, ſæpe poſt triginta & plures annos objurgationes ſuas ingeminat: *Malè feciſti*: Conſcientia ut ulcus Telephium, verminoſum, tetrum, pure plenum nondum inciſum urit, cruciat, prurit, mordet, pungit, furit; dum incidatur, & quicquid puris latuit, exprimatur. Pus virulentiſſimum eſt peccatum, dum hoc conſcientiâ clauſum

latet,

latet, hominem angit, ſollicitat, torquet, excruciat velut ulcus, ſomnum & cibum turbat, quod nec ſtare, nec ſedere, nec ambulare, nec jacere commodè permittit, ob continuum doloris morſum. Repeto, vermis eorum non morietur. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Quot enim vitia, tot invenies animæ tormenta. Conſcientia nocens velut culeus ſeu ſaccus ſcorteus conjectis in eum homine, ſerpente, gallo gallinaceo, cane. Nec ullus hominum tam impius eſt, quin antigrapheus ille ac concionator domeſticus excandeſcat & clamet: Quid facis miſer, quamdiu hærebis in hoc luto? Deus tuus hoſtis tuus eſt; omnes cælites oderunt te; cælum tibi clauſum, inferi hiantes exſpectant te. Aut reſipiſce, aut illuc abi. Et quando finem facies nequitiæ? Evigila, ultimum minatur tempus: ſurge, reconciliare Deo. Hunc luſum quem tandiu luſiſti cum Deo, demum deſine. Vomicam incide per veram ac ſtabilem pœnitentiam. Conſcientia læſa, tormentum

gra-

gravisſimum. Forcipibus diſcerpetur candentibus, qui ad hoc ſupplicii genus ſeipſum per flagitia damnat. Tranquilla conſcientia ſancti ſpiritûs hoſpitium: Impura conſcientia Diaboli diverſorium.

CAPUT IV.

Conſcientia errans, conſcientia nulla.

IAcobi Patriarchæ Filii, Fratres Joſephi, non uno tantùm ſcelere in fratrem impii, cum Ægyptiis inſtitoribus Ioſephum jam vendidiſſent, tunicam illi detractam hædi ſanguine tinxerunt, & tranſmiſerunt patri cum hoc dicto: Vide, utrum tunica Filii tui ſit, an non? *a* Nolebant nempe mentiri, ac dicere. Fera illum laceravit. O teneræ conſcientiæ homines! qui in religionem traxerunt mendacium, & per riſum jocumque perpetrarunt homicidium. Jam eis certè decretum erat germanum occidere, ideo in foveam dejecerunt, fame perimendum. Hoc omne laxiſſima eorum conſcientia glutire at-

Digitized by Google

que decoquere potuit. Eſſe homicidæ non recuſarunt, mendaces tamen dici noluerunt. Ideo renuntiari patri juſſerunt, videret, cujus ea veſtis eſſet. Cogitarunt enim; abſit à nobis ut fallacias fingamus, mentiri non eſt noſtrum. Cruentam veſtem mittamus patri, qua viſa ſenex ipſe concluſionem faciat, quid factum ſit Joſepho. Ita nequiter tranquillare cogitarunt conſcientiam. Hoc facinus eam nobis exhibet Conſcientiam quæ paſſim Erronea vocatur. Quamvis optimi Theologi affirment, *a* Conſcientiam imperitè dici errantem vel erroneam.

Nos tamen hic iterum eam ſequemur legem, quæ jubet, ſapere cum paucis, loqui cum multis. Primo igitur, quid Conſcientia dicatur erronea? Deinde, quis modus ſit illam gubernandi, explicabimus; ubi prius Scripturam inſpexerimus & Picturam.

SCRI-

a Præcipuè meus Præceptor in Theologia ex Hiſpania in Germaniam vocatus.

fol. 67.



Digitized by Google

Digitized by Google

SCRIPTURA.

Non in omnibus eſt ſcientia; & Conſcientia ipſorum cum ſit infirma polluitur. 1. Cor. 8. v. 7.

PICTURA.

Canis ad aquam cum fruſto carnis, videns in aquis umbram illius, eique inhians utroque excidit.

CONſcientia errans ſeu erronea, è falſo principio ducit concluſionem. Hinc vitioſi aliquid virtutis laruâ induit, & quod perperam fit, legitime factum aſſerit. Quod Paulus explicans: Non omnibus, inquit, eſt ſcientia. Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi Idolothytum manducant: & Conſcientia illorum cum ſit infirma, polluitur. *a* Ævo Pauli Chriſtianorum infirmiores aliqui, ea ſibi religione videbantur obſtringi, ut non licere crederent carnem ſuillam, aut idolo ante poſitam comedere. Conſcientia hoc ſuaſit, ſed errans. Nam utrum-

a 1 *Cor. cap.* 8. *verſ.* 7.

que illud licuit, niſi res offenſioni & pernicioſo eſſet exemplo. Quod Paulus dilucide præmonuit: Si quis dixerit, hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam; conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius a. Ergo carnes idolis immolatas comedere nullum nefas, ſi abſit offenſio. Haud abſimili modo, eſt qui furtum æſtimet non vitioſum, ſi opulento ſimúlque improbo ſubtrahatur aliquid, & pauperi detur. Falſum principium, errans conſcientia. Eſt qui licere credat mendacium, devotioni augendæ, religioni propagandæ, aut vitæ ſervandæ factum. Falſum principium, errans conſcientia. Eſt qui ſputum in templo ejectum pro noxâ ducat, & tamen ſpuat. Num iſte á culpâ immunis eſt? Neutiquam non qùod reipſa contraxerit culpam, ſed quia egit contra conſcientiam, ut ſuo loco uberius dicemus.

Hîc cum Theologis triplex genus obligantis conſcientiæ aſſignemus.

Eſt

a. 1. *Cor, cap.* 10. *verſ.* 27.

Digitized by Google

Eſt Conſcientia Recta; eſt Errans ſed innocenter & abſque vitio; eſt errans vitioſè & cum culpâ: Theologorum voces ſunt: eſt errans vincibiliter & culpabiliter, & eſt errans invincibiliter & inculpàbiliter. Conſcientia Recta, Bibliorum & omnium Theologorum conſenſu ſic obligat ſibi hominem, ut ei non ſolùm non audeat contradicere, ſed obſequi debeat, & facere quod ei conſcientia faciendum præcipit, ſi quidem evitare noxam velit. Certum hoc & indubium. Conſcientia errat ſed innocenter, cùm quis in opinionem falſam & errorem inevitabilem miniméque voluntarium devolvitur. Conſcientia errat, quæ aliquid honeſtum credit aut inhoneſtum, non certo, ſed dubio aſſenſu, nec ſine formidine oppoſiti, nam illi perpetuò obverſatur, rem meliùs conſiderandam. Conſcientia quæ innocenter & ſine culpâ errat, non minus hominem ſibi devincit & obligat atque Recta conſcientia, tam poſitivè, vt ſcholæ loquuntur, quam negativè. Exempli gratiâ. Eſt qui putet intra Natalem

Domini, & Epiphaniam ineundum jejunium&tamen non jejunet. At verò Conſcientia, quę vitioſè impingit, ligat etiam & obſtringit, ſed caſu & ex accidenti, ut Theologorum voces ſunt, ſeu negativè: nam dum hæc Conſcientia durat, contrarium ipſius imperio faciendum non eſt. Exemplo demonſtratur quod dicitur: Errans Conſcientia ſputum prohibet in templum ejicere, ne peccetur. Qui contra iſtud propriæ conſcientiæ dictamen expuit, peccat, non quod actio hæc in ſe mala, ſed quia conſcientiæ, licet erranti, ſit contraria. Sic alteri errans Conſcientia præcipit, ut huic honorem, iſti vitam ſervet mendacio: rem hanc aliter confieri non poſſe, non debere; mentitur ergo. Num hoc rectè ac piè facit? Neutiquam. Nam omne mendacium eſt peccatum. Sin autem non fuiſſet mentitus, etiam peccaſſet, quia contra conſcientiam feciſſet. Quid, inquies, hoc monſtri eſt? ſive mentiatur hic homo, ſeu non mentiatur, delinquit. Ergo neceſſarium eſt peccare. Reſpondent Theologi neceſſitatem
hanc

hanc ſecundum quid, & ex accidenti contingere. Nam in hoc tali caſu minimè quis obligatus eſt ad hoc vel illud neceſſario faciendum, ſed ad rejiciendam errantem conſcientiam; cui principium hoc opponendum: Mentiri non licet, nec ad ſuam quidem, vel alterius ſervandam vitam: In templi pavimentum expuere, vana, nulla religio eſt. Ita & in cæteris ratiocinandum. Hinc aliqui dicere ſolent, Errans vitioſè conſcientia ligat, ſed non obligat, adeóque prudentis viri conſilio eſt mutanda.

Igitur Conſcientia ſeu vitioſè ſeu innocenter errans, ita hominem obligat, ut contra illam agere ſine culpa non audeat. Ratio eſt, qui contra conſcientiam agit, contra legem Naturalem & contra ſyntereſin agit, quæ identidem inſuſurrat: omne malum, (etiam exiſtimatum) vitandum eſt. Quod dicimus, dilucide demonſtramus. Voluntas à ſe cæca pro regula & lege, ſed remota, voluntatem habet divinam: Proxima illius, & velut domeſtica lex, eſt Conſcientia, per quam divina ei voluntas innoteſcit.

teſcit. Ergo Conſcientia quantumvis erret, ita ſuum Dominum ligat, ut legitimè contra dictamen ejus agere non poſſit. Quòd ſi conſcientia non ſine culpa erret, excutienda, emendanda, rejicienda eſt Satis hîc exemplorum.

Qui Apoſtolos Chriſti Diſcipulos jugularunt, obſequium ſe Deo præſtare arbitrati, num ſapienter, obſecro, & bene fecerunt, an verò malè? peſſime utique. Sin eos occidere noluiſſent, ne ſic quidem egiſſent bene, quia judicarunt eos occidendos tanquam religionis novæ ſatores Quid ergo? ſuam hanc errantem conſcientiam corrigere debuiſſent tali ratiocinio: Hi Homines nec Prædones, nec Fures, nec Latrones, imò nullis vitiis obnoxii ſunt, peregrinam ſolùm & ignotam ſpargunt doctrinam. videamus ergo, num ea rationi ſit conſentanea? ita luculentiſſimè deprehendiſſent, non eſſe jugulandos. Exemplo rem alio monſtramus.

Videt quis mendicabulum á malè ſartis centonibus, ſeminudum. Huic ſpecta-

ſpectatori ſuggerit conſcientia. Malè facis niſi veſtem huic homini dandam fureris. Furatur? peccat, quia falſo nititur principio. Non furatur? peccat iterum, quia contra conſcientiam agit. Quid igitur faciendum? Corrigenda eſt errans hæc conſcientia, ſeu potiùs ejicienda eſt cum hoc dicto: Non ſunt facienda mala vt eveniant bona. Objicias: Quis iſtas tot diſtinctiones capiat? Hîc conſidera, mi Lector, quam vtiliter explicatio peccatorum ſit inſtituta, præſertim ad dirigendas conſcientias, & quam is nequiter ac malâ fide agat, qui ſtudio ſacerdotem imperitum, conniventem, indoctum quærit, cui conſcientiam ſuam committat. Sed exemplum aliud ſubjungimus rei magis in lucem proferendæ.

Jam annis quindecim bellis inteſtinis ardet Germania, & quod deterrimum eſt, Chriſtiani confligunt cum Chriſtianis, hinc & hinc fulgent Crucis labara & in Martem ſuos educunt. Vtraque pars conſcientiâ ſe urgeri ait. Sed alterutrius neceſſa-

rio errans eſt conſcientia, & quidem vitioſè, nec ſine noxa errans: ſuos illi errores facile eſt commonſtrare. Magiſtratui legitimo rebellem eſſe: capitales Chriſtianorum hoſtes in auxilium vocare; pactis conventis non ſtare; omnia ſuſque deque vertere, inſontes ſedibus undequaque pellere, errantis planè conſcientiæ ſunt indicia: ergo amovendæ.

Idem è divinis libris luculenter oſtenditur. Exiſtimavit Iephte à ſua conſcientia devinciri & adigi ſe ad jugulandam Filiam. *a* Errans Conſcientia. Nicol. Serarius eum ab omni peccato, tam in voto concipiendo quam exequendo excuſat. Ita Prophetes juſſus eo loci, vbi Ieroboamus habitabat, nec comedere nec bibere: Perſuaſus tamen ab alio Propheta credidit ſeſe divinis imperiis minimè adverſaturum, illic locorum edit & bibit. *b* Errans Conſcientia. Sic & Oza judicavit ſe optimè facturum, ſi bobus calcitrantibus ab everſionis periculo ſervaret, & fulciret

a *Iudic. cap.* 11.
b *3. Reg. cap.* 13. *verſ.* 18.

ciret Arcam. *a* Errans conſcientia. Mardochæus putabat ſibi non licere aulica cęremonia genu flectere Amano ſatrapæ. Errans Conſcientia. *b* Ita Machabæorum ævo Iudæi qui ad ſolitudinem confugerant, cum regis Antiochi miles ſabbato illis inferret bellum, duxerunt nefas reſiſtere, & vim vi repellere. Hinc occultos aditus non oppilaverunt, & nec lapillum quidem in hoſtem miſerunt. Ita mortui ſunt ipſi, ait ſacer hiſtoricus, & uxores eorum, & Filii eorum, & pecora eorum, uſque ad mille animas hominum. *c* Et hîc errans conſcientia. Ita & Herodes Antipas, propter juſjurandum iniquiſſimum, quo ſe ſaltatriculæ puellæ obſtrinxerat, Ioanni Baptiſtæ caput in vinculis præcidi juſſit. *d* Errans conſcientia quam maximè. Ita & Iudæorum plures quàm quadraginta in caput Pauli conjurarunt, nec cibum ſe nec potum ſumpturos, dum Tarſenſem illum Eccleſiaſten occidiſſent. Nam ita Sacerdotum principes allocuti: Devo-

a 1. *Par.* c. 13. v. 7. b *Eſth.* c. 3. c *Mach.* c. 2. v. 36. d *Marci* 6.

tione devovimus nos, inquiunt, nihil guſtaturos, donec occidamus Paulũ.[a]

Conſcientia ſupra modum errans cædem Pauli credens obſequium Dei.

Quæras primò: Qualénam peccatum eſt agere contra conſcientiam? ajunt Theologi, tale id eſſe quale illud æſtimet conſcientia; leve, ſi conſcientiæ videatur levius; grave, ſi gravius ab eâdem judicetur. Quod hoc ſenſu accipiendum: Si conſcientia vitioſè, ſeu vincibiliter, errans minora putet eſſe piacula, quæ capitalia ſunt ex ſe, piacuſo capitali ſe obſtringit. Sin autem hoc idem Conſcientia innocenter ſeu invincibiliter errans minorem noxam cenſeat, talis erit. Quòd ſi conſcientia temeraria nullum peccatorum faciat diſcrimen, optimorum Theologorum judicio, letalem noxam contrahit, quia ſeſe periculo exponit lætaliter delinquendi. Res delicata & tenera eſt conſcientiæ negotium, ideò cautè tractandum. Num verò gravius delictum ſit, conſcientiam errantem ſequi, an eidem etiamnum per-

a *Actor. cap. 23.*

perduranti actione ipſa contradicere? Hoc ex rei attributionibus, & iis quæ actionem circumſtant, intelligendum. Exempli gratia: Si errans conſcientia iniquum bellum ſuadeat, abſque comparatione gravius peccat, qui paret conſcientiæ tam injuſta ſuadenti, quam ſi non pareat. Nam bellum impium multa hominum millia tollit, ubi pænè tot peccata quot funera. Quorum cauſſâ eſt, qui bellũ ſine cauſa juſtâ orſus eſt.

Quæras ſecundò, ſi quis adeò animi confuſus, ut quicquid faciat, peccatum metuat. Mentior? ait ipſe ſecum, contra veritatem ago. Non mentior? Contra charitatem. Quid hic homo faciat? Minus malum eligat. Hîc geminum documentum inſtillamus. Phariſaicam conſcientiam cavere & propriam unicè curare.

Conſcientiam Phariſaicam appellamus, quæ camelum glutit, percólat autem vinum, in quod fortè illapſa eſt muſca. Hoc genus hominũ Chriſtus ſingulariter notans: Væ vobis, inquit, Scribæ et Phariſæi Hypocritæ, quia decimatis mentam, & anéthum,

thum; & reliquiſtis quæ graviora ſunt, judicium & miſericordiam, & fidem. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes *a* Iudæi & eorum Phariſæi crimina capitalia non curabant, non vitabant, in minimis noxis ſolliciti trepidabant. Die paraſceves Pilati prætorium ingredi ſummæ religioni habuerunt; innocentem cruci affigere negotii nihil penitus illis faceſſebat. Haud abſimiles reperias inter Chriſtianos, quibus grande piaculum eſt, in ægroti gratiam lixæ carnis juſculum die Veneris prælibare, at vero alios maledictis figere, aliorum laudibus obtrectare, invicem mordere, invicem comedere & conſumere, itáque humanas carnes dentibus quaſi concerpere, ludus & jocus eſt. Conſcientia Phariſaica ex aſſe. Quod beatus Lucas in Hebræos Hypocritas ſcripſit, id in Chriſtianos hos Phariſæos dictum puta: Væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentam, & rutam: & omne olus, & præteritis judicium & charitatem Dei. Hæc autem

a *Matt. c. 23. v. 23.*

rem oportuit ſacere, & illa non omittere. a Narrat vir eruditus, feminam illuſtrem genibus reptantem in ſacrarium ingreſſam, ſingulari reverentię argumento, illud ipſum tamen rebus omnibus deſpoliavit. O Chriſtiani Pharisæi! qui relinquitis quæ graviora ſunt legis, in minutiis hærentis & ſolidas virtutes negligitis! Peregrinatiunculam omittere magnum cenſetur nefas, fortunis aliquem evolvere, famam illi deminuere, in ludicro & vili ponitur.

Quicquid exterioris cultus eſt, omneſque cæremoniæ accuratiſſimè ſervantur; interiores Fidei, Amoris, Spei actiones vix quidquam curantur. En tibi! quàm ampla etiam nunc Phariſæorum familia!

Alterum ergo eſt propriam conſcientiam unicè curare. Hoc certè Thomas Morus doctrinâ & ſanctitate vir magnus, præſtitit eximiè. Qui litteris, quas è fatali carcere ad alios miſit, hęc quoque inſeruit: Circa aliorum Conſcientias curioſus non ſum; meam ſolus diligenter curo. Et profecto

a *Luc. c.* 11. *v.* 42.

fectò in meâ curandâ (parcat mihi Deus!) ſatis ſupérque quod agam invenio. Nobile priſci ævi monitum eſt:

Tecum habita: Et nôris, quam ſit tibi curta ſupellex. a

Suam quiſque conſcientiam quam diligentiſſimè curet. Tametſi totum Galliarum regnum pro domo tibi ſit unica ſi tecum ipſe habitare neſcias, nuſquam habitabis, etſi habites ubique. Ergo, Tecum habita.

a *Perſius.*

Caput V.

Conſcientia dubia peritè dirigenda.

CÆleſtis illa, quam Salomon depinxit, ſponſa dolenter queſta: Invenerunt me, inquit, cuſtodes, qui cuſtodiunt civitatem; percuſſerunt me, & vulneraverunt me. Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. a Qui ſeipſum, ut Gregorius expli-

a *Cantic. cap. 5. verſ. 7.*

Digitized by Google

explicat, a Noſſe cupit; qui in ſeipſum deſcedere, conſcientiam rimari: & illic cum Deo ſuo loqui deſiderat, pallium relinquat, ea nimirum impedimenta, quæ ipſum abſtrahunt, quò minus vacet conſcientiæ. Et quamvis vulneretur, hoc eſt, incommodis rerum fluxarum afficiatur, modò bene habeat & in tuto ſit Conſcientia; ſalva omnia.

De Conſcientiâ hactenus differentes, quid conſcientia, quid Bona ſit, quid Mala, quid Erronea, explicavimus; ordo poſcit, ut quæ Dubia ſit Conſcientia. exponamus: patientem, mi Lector, aurem accommoda, qua brevitate poterunt & claritate, in lucem dabimus præceptiones non multas. Illud primò dicendum, quid in omnigenis dubiis anceps & pendens conſcientia decernat. In hanc rem præſcripta ſeu regulas pauculas è quam pluribus ſeligemus, poſteaquam è ſcriptura capitis argumentum & adumbrationem obiter fuerimus contemplati.

a *Greg. lib. 26. mor. & in cap. 5. Cant.*

Digitized by Google

SCRIPTURA.

Quidam autem dubitaverunt.
Matth. 28. v. 17.

PICTURA.

Aſinus inter pabulum utrinque lautum, vix oßibus hærens.

Conſcientiam appellamus dubiam quæ fluctuat, hæret, & in incerto habet, quid potiſſimum è duobus eligat. Hæc velut in bivio eſt, ignorans quam teneat viam; duas ante ſe januas habet, deliberans quam ingrediatur. Opinans Conſcientia, ſuæ quidem opinionis certa non eſt, in unam tamen partem propenſiùs inclinat quam in alteram, & liberè pronuntiat: Cum his ſentio. Et in hac quidem materiâ, quam Theologi tam Scholaſtici quam Morales tractant, centum diſtinctiones, clauſulæ centum connecti ſolent. Nos quinque ponemus regulas, ad opinantis ac dubitantis Conſcientiæ regimen expeditiùs tractandum.

I. Regula univerſalis. *In dubiis pars*

fol. 82.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

pars tutior ſectanda, ſi quidem ſine graviore damno id fieri poſſit. Et nunquid homo prudens & ſagax in rebus moralibus illud identidem apud ſe repetit: Sequar quod tutius eſt: Intuta ſemper periculoſa. Si ea eſt ratio rerum fluxarum, quantò magis æternarum? Hoc certè ſyntereſis & omnis dictat prudentia; ut ſi flumen pons nullus frænet; illud tamen nihilominus mihi tranſeundum ſit, parte illâ tranſeam, quâ maximè vadari poteſt.

Regula juris civilis communiſſima eſt: In pari cauſâ, tutior pars eſt eligenda. Exempli gratia: Dubito, num opifici egeno pretium laboris enumerârim, ſed & opifex ipſe dubitat, tam vir bonus eſt. Igitur ſecurius fecero, ſi pretium jam nunc repræſentem. At dubito, inquit, num fundus aut prædium ſit verè meum. Quid faciam? Ei reddere, qui te appellat de prædio, tutum quidem foret, nihilominus quia tibi grande hinc damnum infligeretur, fundum retinere potes, dum ex jure Quiritium, aut aliunde magis liqueat, cujus

ſit fundus. Idcirco Regulæ conjunctum: ſi ſine graviore damno id fieri poſſit. Explico. Prudenter herus dubitat num ſuis famulis aut ſubditis onus imponere, aut operam ab eis expetere poſſit, quam ſine damno præſtare nequeant; obſequium ergo differat, dum prudens hoc dubium durat. Quòd ſi neutra pars dubii tuta, & tamen alterutra ſit neceſſariò amplectenda, tunc eligatur minus periculoſa. Et hoc in dubiis, quæ vocant, practicis ſervandum.

Hinc inter dubia ſpeculativa, ut appellant & practica diſcrimen aſſignandum. Speculativum eſt in philoſophorum Lyceis, utrum teſtamentum ſit legitimum, Matrimonium ratum, Bellum Juſtum; Vtrum hic equus meus, utrum hic mercatus, hæc nundinatio, hic contractus licitus: Vtrum die feſto molere, lucri cauſſa ſcribere, typos ſeu formas æneas componere, piſcatum exercere liceat. Vtrum agricolæ permiſſum die Dominico aut ſacro alio currum purgare, falcem acuere, fruges convehere, plauſtrum onerare; Vtrum do-

dominus cui plures ſunt famuli, neceſſitate non compellente feſto die iter facere poſſit. Hæc practica ſunt dubia.

II. Regula. *In dubio vtrinque pari, locus eſt gratificationi* ait Adrianus. Subinde dubium velut bilanx æqualiter utraque parte propendet, tunc ſanè vel cognatis, vel mihi ipſi, vel amicis gratificando aliquid poſſum apponere. Exempli gratia. Centum Philippeos ſtipi vel muneri dare decrevi. Sunt autem duo æquè bene de me meriti, ſed alter cognatus eſt; huic igitur dono, aut certe donum divido. In muneribus quidem largiendis liberi ſumus; neque hîc tamen prudentiæ leges negligendæ; nam etiam de muneribus ac donis, tam acceptis, quam datis, Chriſto judici ratio reddenda eſt, & nonnunquam graviſſima.

III. Regula, *In dubio propriè practico ſemper peccatum eſt, vel omittere aliquid vel facere.* Sententia Theologorum certa, paucis explicanda. Dubito rectène, an malum, ſi hoc tale faciam; dum dubito, id facere non

 poſſum

poſſum ſine peccato. Dubito, num in illis ædibus vino non obruendus ſim: illas igitur ædes adire mihi non licet. Dubito an in illâ domo contra caſtimoniam non ſim peccaturus: illam igitur domum vitare obligor. Nam homo aliquid acturus, moraliter certus ſit, ſe rectè agere. Nefas eſt agere conſcientiâ prius non practicè determinatâ. Nam quamdiu conſcientia hæret ac dubitat, nulla poteſt inchoari actio, aliàs periculo ſe ſe objicit, qui ſic agit. Siracidæ dictum eſt: Qui amat periculum, peribit in illo. *a* Ita prorſus qui dubitat, an læſurus ſit amicum importunâ exprobratione, & tamen exprobrat, hoc ipſo amicum lædit. Pari planè modo, qui dubitat, num hoc vel illud faciendo, ſit offenſurus Deum, & illud nihilominus facit, Deum certè offendit: éſtque id peccatum omnino tale, quale eſt dubium. Qui dubitat, num letalem noxam committat, nec tamen ab actione ceſſat, is ſanè letaliter peccat; qui de culpâ leviori ambigit, & in actione pergit, hic levius delinquit.

Dixi,

Digitized by Google

Dixi, in dubio propriè practico. Nam poteſt quis ſpeculativè, ut loquuntur, dubitare, & tamen certi aliquid apud animum ſtatuere. Bonæ mentis ſubditus vehementer dubitat, num bellum, quod magiſtratus movet aut rex, cui ſubjicitur, ſit juſtum: Quia tamen evulgati belli cauſſas ignorat, nec eas indagare poteſt, judicium ſibi practicum hoc modo efformat: Subditus ſuo domino, civis ſuo magiſtratui obtemperet, dum nulla cernitur injuſtitia. Ergo, inquit, quod felix & fauſtum ſit, ad bellum proficiſcor: de belli cauſſis viderint reges qui bellum ſuſcipiunt. En, dubium iſtud huic ſubdito ſpeculativum eſt, ei tamen prudentia ſuggerit militandum.

IV. Regula, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.* Hanc Theologi non ſolùm in rebus juſtitiam ſpectantibus, ſed etiam in ceteris virtutibus ſervant. Quæ autem dicatur poſſeſſio, centum præceptionibus explicant. Nos exemplis rem declarabimus. I. Dubito ego; num votum fecerim, num matrimonium promiſerim?

rim. Hic etiamnum meæ libertatis poſſeſſor ſum, ſalva conſcientia definire poſſum, me votum non feciſſe, matrimonium non promiſiſſe, adeóque nullis hîc obligor pactionibus. Sed muto dicta, & ajo: II. Conſtat quòd votum nuncuparim, quod matrimonium promiſerim, ſed neſcio an votum perfecerim, an matrimonium ſeriò promiſerim. Hîc ego & voto alligor & matrimonio, quia hîc tam votum quam matrimonium in poſſeſſione ſunt. Meiſmet verbis ligatus teneor. III. Eleemoſynæ mihi commiſſæ ſunt, ſed neſcio an eas diſtribuerim: obligor; nam illæ in poſſeſſione ſunt. IIII. Conſtat mihi mortiferam culpam à me commiſſam, ſed dubito num eam conſcientiæ meæ judici aperuerim, ergo eam aperire obſtringor, quia hîc peccatum in poſſeſſione eſt, uti communior fert ſententia. V. Dubito num jejunii dies, num ſabbatum tranſierit, an hora noctis duodecima jam audita ſit, num liceat comedere? Non licere ajunt Theologi, quia jejunium eſt in poſſeſſione. Sin autem dubitem an

an Dies Veneris , an Cinerum Dies coeperit, eſſe licebit, ſi quid obſonii ad manum ſit, quia ego & libertas mea etiamnum in poſſeſſione ſumus.

VI. Dubito num preces Canonicas recitarim, aut illarum aliquid omiſerim, hîc eas certe totas, aut quod omiſſum dubito, recitare teneor. Siquidem Lex Eccleſiæ hîc in poſſeſſione eſt, itáque dubius dicenda non dixiſſe creditur.

VII. Dubitatur, num famulus hoc illudve ſublegerit. Hîc Famulus etiamnum famæ ſuę poſſeſſor eſt, ideoque inſons judicandus, ſaltem negativè ſi non poſitivè, nec in crimen furti trahendus, nec probri inſimulandus eſt. Dum res aliis conſtet experimentis. Dubia namque de perſonis in melius explicanda. Ah millies, iterumque millies temerariis hîc judiciis delinquitur. Cum levis dubitandi cauſſa eſt, ingens oritur ſuſpicio. Hinc flammæ & incendium. Revera judicandus eſt probus, qui certæ improbitatis inſimulari non poteſt. Innumeræ hîc injuriæ committuntur temerariis ſuſpicionibus,

præcipitatis judiciis, falſis accuſationibus. Niſi ejuſcemodi mille dubia hinc prudenter enodâris.

Intricatiſſima matrimonii arcana non tangimus, negotium enim tam perturbatum eſt, ut rectiſſimè dixerint apoſtoli: Si ita eſt cauſſa hominis cum uxore, non expedit nubere. *a*

V. Regula, *E duabus opinionibus probabilibus, licet pro arbitrio eligere alterutram, etiam minus probabilem.* Opinionem probabilem eam dicimus, quæ veritati utcunque conſentanea, quæ rationi ac eruditorum opinioni conformis eſt, etiamſi paucorum, aut etiam unius ſolùm Eruditi viri ſit ea opinio. Exemplum nobis poſitum ſit hujuſmodi. *b* Eſt Sacerdos qui uſuras quincunces cenſeat iniquas & idcirco hominem de peccatis confitentem liberum ab iis pronuntiare nolit. Huic ſi opponat confitens reus eruditorum judicio æquas ſibi videri, graviſſimè obligatur Sacerdos hunc noxarum vinculis eximere. Nec

a *Matth. cap.* 19. *verſ.* 10. b 5. von 100. gül. *Germani vocant* den Göttlichen Zinß.

Nec enim vi legis obſtringimur, ut ſemper eligamus meliora, alioqui virginitas præ conjugalibus tædis nemini non eligenda foret. Hæc aſſero, non ut conſcientiam ullius pertundam, ſed angores, contractiunculas, & morſus præcaveam. Neque hæc primæ Regulæ adverſantur: ibi de dubiis, hic de opinionibus ſermo eſt. Hoc autē in arte medica nil loci habet, in qua tutior ſemper ac probabilior opinio ſequenda. Iudex civilis inter opiniones æquè probabiles pronuntiet ut vult (ſecundum aliquos:) at rectius ageret, ſi neutra pars litigantium in poſſeſſione ſit, res componendo vel æqualiter dividendo.

Beati Pauli verbis finio: *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* a Non de fide ſolùm univerſali, ſed de practica prudentiæ, ſeu de credulitate, & conſcientiæ dictamine pronuntiat. Hinc Ambroſii, Chryſoſtomi, aliorum effatum eſt. *Quicquid contra conſcientiam, peccatum eſt.* Nam Paulus hoc loco de

 iis

a *Rom. cap. 14. verſ. 23.*

iis locutus, qui cibos lege Moſis vetitos, non licere Chriſtianis comedere cenſuerunt. His reſpondet Orbis Doctor, hos cibos optimo jure poſſe comedi; peccari tamen, ſi vel adverſante conſcientia, vel alterius offenſione comedantur. Vnde illa Pauli verba: Omnia quidem munda ſunt, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat. Tu fidem, quam habes, ſeu practicum conſcientiæ dictamen, penes temetipſum habe coram Deo. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, (*contra Conſcientiam*) & peccatum eſt. Eſto igitur conſentiens adverſario tuo citò, dum es adhuc in via cum eo. Tuam ipſius conſcientiam ſummâ ſollicitudine cura. alii curent alia, ſuam ille crumenam, ſuam iſte voluntatem, hic ſuam dignitatem. Tu omnem operam, tu curas tuas & cogitationes in tua pone conſcientia. Quicquid contra conſcientiam eſt, peccatum eſt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

Conſcientia ſcrupuloſa, tam erroris quam doloris plena.

CLaræ vallis Apis Bernardus de domo interiore diſſerens: conſcientia hominis, inquit, abyſſus multa. Sicut enim abyſſus exhauriri non poteſt, ita nec cor hominis; mare magnum eſt & ſpacioſum. *a* Si quis ab alto ſubjectam contemple:ur terram, hîc ſegetibus veſtitam, llic hortis pomiferam, iſtic ſilvis um›roſam, hic fontibus & aquis irriguım, illic paſcuis & pratis floridam;) Pomum pulchrum & eleganter oloratum! ſed in hujus pomi medio œdiſſima latet putredo. Siquidem ›riſcorum Patrum teſtimonio terræ ımbilicus claudit inferos. Cum igi'ur terra ſit orbicularis & rotunda, ut Geometræ docent, & in terræ medio eternus Dei carcer ardeat, non malè licetur: O rotundum & elegans pomum, ſed in viſceribus hæret deformis vermium nidus.

Idem

a *Bern. de domo interi c. 44. mihi pag.* 198

Idem pœne plurimis de Hominibus dixeris: O Hominem elegantem & ornatum, venuſtatis plenum! ſed arcana pectoris retegantur, ſuas conſcientia valvas pandat, & vitiorum carcer, inferorum ſedes deprehendetur, Conſcientia mala, vel certè anxia & *ſcrupuloſa*. De mala dictum, dicendum de *ſcrupuloſâ* quæ angit, torquet, urit graviſſimè, velut Orcus. Hunc tormentorum locum in hoc capite ſcrutabimur, ita quidem, ut primò dicamus, unde oriantur ſcrupuli, dein quomodo ſint curandi.

SCRIPTURA.

Illic trepidaverunt timore ubi non erat Timor. Pſ. 52. v. 6.

PICTURA.

Populus alba foliis, quæ intus nigra, ſemper tremula: ſub arbore tympanum & Lepus.

CONſcientia pavida, prætrepida, anxia, vario metu ſuſpenſa, vulgo nominatur *ſcrupuloſa* à lapillis ac ſcrupulis, qui calceis inhærentes miſe-

fol. 94.



Digitized by Google

Digitized by Google

miſerè affligunt viatorem; magis tamen vexant quam vulnerant. Ita ſcrupulus eſt mentis anxietas, quæ levi aut nullo fundamento aliquid ceu malum apprehendit. Hoc autem non eſt dictamen rectæ rationis vel practicum judicium, ſed animi figmentum, phantaſia mera, timiditas indocta, Panicæ formidines. Ideò adverſus hanc conſcientiam omni modo poſitivè & negativè, ut Theologi loquuntur, nitendum. Hæc enim vana formidatio, reddit hominem inquietum, turbidum, animi inopem, confuſum, dubium, incertum, negotiis malè vacantem; lædit quandoque valetudinem, & ab exercitiis melioribus abducit. His obſtaculis fortiter reluctandum.

Atqui, dices, contra conſcientiam agere nunquam licet, uti ſuprà demonſtratum eſt. Sed negamus hanc mentis trepidationem eſſe conſcientiam, ſeu rationis judicium, ſed ſine judicio vanam opinionem. Hîc tamen cavendum, ne fiat è ſcrupulis errans conſcientia, quæ vero nomine appelletur ſcrupuloſa.

Origo

Origo ſcrupulorum varia. I. Inſtinctus cacodæmonis, hic énim cum bonæ mentis hominem gravioribus vitiis irretire ac fallere nequit, hanc ſanctimoniæ larvam induit. I I. Imbecillitas capitis, aut atra bilis. a III. Imbecillitas animi, & inſcitia. I V. Diffidentia de divina bonitate ac miſericordia. V. Abdita nonnunquam ſuperbia, quæ ſuæ inſcitiæ magis credit quam ullis eruditorum monitis. V I. Divina providentia & diſpoſitio, quæ ſæpius aut in priorum noxarum pœnam, aut in humilitatis, patientiæ aliorumque promeritorum augmentum hos animi angores immittit.

Non ſolùm autem probiores Homines his ſcrupulorum aculeis punguntur ſed nonnunquam negligentes etiam & vitioſi, qui de commiſſis nimium anxii, nihil autem ſolliciti ſunt de cavendis, ægritudine horribili cruciantur quòd malè egerint; ne malè agant in poſterum peſſimè ſecuri marcent & oſcitant. Majorem tamen partem ſcrupulis infeſtantur probi.

a Melancoley.

probi. Sed undecunque tandem oriantur ſcrupuli, ſi permittantur agere radices & invaleſcere, ita demum occupant & affligant hominem, ut is conferri poſſit terræ, cujus umbilicus inferos complectitur. Ipſimet fatentur ſcrupuloſi homines, malle ſe malis onerari quantiſcunque, quaſcunque perpeti ærumnas, modò animum Deus ſcrupulis liberaret. Ideo proclamat Cajetanus. Væ væ Confeſſario habenti verum ſcrupuloſum pœnitentem.

Originem ſcrupulorum ſcimus. Sed quid remedii eſt? quî juvandi ſunt tam inani religione obſtricti? Præceptiones quinque ſuppeditamus.

PRIMA. Origo ſcrupulorum accuratè obſervanda. Si namque in cauſſâ ſit atrabilis, aut alia quæcunque corporis malignior diſpoſitio, pharmacis expugnandum hoc malum. Sermonibus ſolis hunc talem nemo curaverit. Sin à DEO immitti cenſeantur hæ morſiunculæ; oratio, ſed perpetuata & conſtans, unicum eſt remedium. Auguſtinus olim etiam

præcipitatis judiciis, falſis accuſationibus. Niſi ejuſcemodi mille dubia hinc prudenter enodàris.

Intricatiſſima matrimonii arcana non tangimus, negotium enim tam perturbatum eſt, ut rectiſſimè dixerint apoſtoli: Si ita eſt cauſſa hominis cum uxore, non expedit nubere. a

V. Regula, *E duabus opinionibus probabilibus, licet pro arbitrio eligere alterutram, etiam minus probabilem.* Opinionem probabilem eam dicimus, quæ veritati utcunque conſentanea, quæ rationi ac eruditorum opinioni conformis eſt, etiamſi paucorum, aut etiam unius ſolùm Eruditi viri ſit ea opinio. Exemplum nobis poſitum ſit hujuſmodi. b Eſt Sacerdos qui uſuras quincunces cenſeat iniquas & idcirco hominem de peccatis confitentem liberum ab iis pronuntiare nolit. Huic ſi opponat confitens reus eruditorum judicio æquas ſibi videri, graviſſimè obligatur Sacerdos hunc noxarum vinculis eximere. Nec

a *Matth. cap.* 19. *verſ.* 10. b 5. von 100. gül. *Germani vocant* den Göttlichen Zinß.

Nec enim vi legis obſtringimur, ut ſemper eligamus meliora, alioqui virginitas præ conjugalibus tædis nemini non eligenda foret. Hæc aſſero, non ut conſcientiam ullius pertundam, ſed angores, contractiunculas, & morſus præcaveam. Neque hæc primæ Regulæ adverſantur: ibi de dubiis, hic de opinionibus ſermo eſt. Hoc autē in arte medica nil loci habet, in qua tutior ſemper ac probabilior opinio ſequenda. Iudex civilis inter opiniones æquè probabiles pronuntiet ut vult (ſecundum aliquos:) at rectius ageret, ſi neutra pars litigantium in poſſeſſione ſit, res componendo vel æqualiter dividendo.

Beati Pauli verbis finio: *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* a Non de fide ſolùm univerſali, ſed de practica prudentiæ, ſeu de credulitate, & conſcientiæ dictamine pronuntiat. Hinc Ambroſii, Chryſoſtomi, aliorum effatum eſt. Quicquid contra conſcientiam, peccatum eſt. Nam Paulus hoc loco de

a *Rom. cap.* 14. *verſ.* 23.

iis locutus, qui cibos lege Moſis vetitos, non licere Chriſtianis comedere cenſuerunt. His reſpondet Orbis Doctor, hos cibos optimo jure poſſe comedi; peccari tamen, ſi vel adverſante conſcientia, vel alterius offenſione comedantur. Vnde illa Pauli verba: Omnia quidem munda ſunt, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat. Tu fidem, quam habes, ſeu practicum conſcientiæ dictamen, penes temetipſum habe coram Deo. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, (*contra Conſcientiam*) & peccatum eſt. Eſto igitur conſentiens adverſario tuo citò, dum es adhuc in via cum eo. Tuam ipſius conſcientiam ſummâ ſollicitudine cura. alii curent alia, ſuam ille crumenam, ſuam iſte voluntatem, hic ſuam dignitatem. Tu omnem operam, tu curas tuas & cogitationes in tua pone conſcientia. Quicquid contra conſcientiam eſt, peccatum eſt.

CAPUT

CAPUT VI.

Conſcientia ſcrupuloſa, tam erroris quam doloris plena.

CLaræ vallis Apis Bernardus de domo interiore diſſerens: conſcientia hominis, inquit, abyſſus multa. Sicut enim abyſſus exhauriri non poteſt, ita nec cor hominis; mare magnum eſt & ſpacioſum. a Si quis ab alto ſubjectam contempletur terram, hîc ſegetibus veſtitam, illic hortis pomiferam, iſtic ſilvis umbroſam, hic fontibus & aquis irriguam, illic paſcuis & pratis floridam; O Pomum pulchrum & eleganter coloratum! ſed in hujus pomi medio fœdiſſima latet putredo. Siquidem priſcorum Patrum teſtimonio terræ umbilicus claudit inferos. Cum igitur terra ſit orbicularis & rotunda, ut Geometræ docent, & in terræ medio æternus Dei carcer ardeat, non malè dicetur: O rotundum & elegans pomum, ſed in viſceribus hæret deformis vermium nidus.

Idem

a *Bern. de domo interi. c. 44. mihi pag.* 1982

Idem pœne plurimis de Hominibus dixeris: O Hominem elegantem & ornatum, venuſtatis plenum! ſed arcana pectoris retegantur, ſuas conſcientia valvas pandat, & vitiorum carcer, inferorum ſedes deprehendetur, Conſcientia mala, vel certè anxia & *ſcrupuloſa*. De mala dictum, dicendum de *ſcrupuloſâ* quæ angit, torquet, urit graviſſimè, velut Orcus. Hunc tormentorum locum in hoc capite ſcrutabimur, ita quidem, ut primò dicamus, unde oriantur ſcrupuli, dein quomodo ſint curandi.

SCRIPTURA.

Illic trepidaverunt timore ubi non erat Timor. Pſ. 52. v. 6.

PICTURA.

Populus alba foliis, quæ intus nigra, ſemper tremula: ſub arbore tympanum & Lepus.

CONſcientia pavida, prætrepida, anxia, vario metu ſuſpenſa, vulgò nominatur *ſcrupuloſa* à lapillis ac ſcrupulis, qui calceis inhærentes miſe-

fol. 94.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

miſerè affligunt viatorem; magis tamen vexant quam vulnerant. Ita ſcrupulus eſt mentis anxietas, quæ levi aut nullo fundamento aliquid ceu malum apprehendit. Hoc autem non eſt dictamen rectæ rationis vel practicum judicium, ſed animi figmentum, phantaſia mera, timiditas indocta, Panicæ formidines. Ideò adverſus hanc conſcientiam omni modo poſitivè & negativè, ut Theologi loquuntur, nitendum. Hæc enim vana ſormidatio, reddit hominem inquietum, turbidum, animi inopem, confuſum, dubium, incertum, negotiis malè vacantem; lædit quandoque valetudinem, & ab exercitiis melioribus abducit. His obſtaculis fortiter reluctandum.

Atqui, dices, contra conſcientiam agere nunquam licet, uti ſuprà demonſtratum eſt. Sed negamus hanc mentis trepidationem eſſe conſcientiam, ſeu rationis judicium, ſed ſine judicio vanam opinionem. Hîc tamen cavendum, ne fiat è ſcrupulis errans conſcientia, quæ vero nomine appelletur ſcrupuloſa.

Origo

Origo ſcrupulorum varia. I. Inſtinctus cacodæmonis, hic enim cum bonæ mentis hominem gravioribus vitiis irretire ac fallere nequit, hanc ſanctimoniæ larvam induit. II. Imbecillitas capitis, aut atra bilis. a III. Imbecillitas animi, & inſcitia. IV. Diffidentia de divina bonitate ac miſericordia. V. Abdita nonnunquam ſuperbia, quæ ſuæ inſcitiæ magis credit quam ullis eruditorum monitis. VI. Divina providentia & diſpoſitio, quæ ſæpius aut in priorum noxarum pœnam, aut in humilitatis, patientiæ aliorumque promeritorum augmentum hos animi angores immittit.

Non ſolùm autem probiores Homines his ſcrupulorum aculeis punguntur ſed nonnunquam negligentes etiam & vitioſi, qui de commiſſis nimium anxii, nihil autem ſolliciti ſunt de cavendis, ægritudine horribili cruciantur quòd malè egerint; ne malè agant in poſterum peſſimè ſecuri marcent & oſcitant. Majorem tamen partem ſcrupulis infeſtantur probi.

a Melancoley.

probi. Sed undecunque tandem oriantur ſcrupuli, ſi permittantur agere radices & invaleſcere, ita demum occupant & afflictant hominem, ut is conferri poſſit terræ, cujus umbilicus inferos complectitur. Ipſimet fatentur ſcrupuloſi homines, malle ſe malis onerari quantiſcunque, quaſcunque perpeti ærumnas, modò animum Deus ſcrupulis liberaret. Ideo proclamat Cajetanus. Væ væ Confeſſario habenti verum ſcrupuloſum pœnitentem.

Originem ſcrupulorum ſcimus. Sed quid remedii eſt? quî juvandi ſunt tam inani religione obſtricti? Præceptiones quinque ſuppeditamus.

PRIMA. Origo ſcrupulorum accuratè obſervanda. Si namque in cauſſâ ſit atrabilis, aut alia quæcunque corporis malignior diſpoſitio, pharmacis expugnandum hoc malum. Sermonibus ſolis hunc talem nemo curaverit. Sin à DEO immitti cenſeantur hæ morſiunculæ; oratio, ſed perpetuata & conſtans, unicum eſt remedium. Auguſtinus olim etiam

jam talis ſed moderate talis, cum Deo ita loquitur: Multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non norunt. In his omnibus periculis & laboribus vides tremorem cordis. *a* En & Auguſtinus populus trepidula fuit, ſed ad Deum ſe ſe erexit, preces iteravit, auxiliatorem quæſiit. Subinde ſcrupili ex occultâ oriuntur ſuperbiolâ, quod ſine ambagibus dicendum ſcrupuloſo, ne ſolum ſe credat ſapere. Ego tamen exiſtimo creberrimam ſcrupulorum originem eſſe, quod de bonitate Dei ac miſericordiâ nimis abjectè ac exiliter ſentiamus, atque hinc providentiſſimo Deo non ſatis fidamus. Vir ſapiens & ſanctus homini nimium ſcrupuloſo & diffidenti non immerito exprobans: Quem quæſo, inquit, tu tibi Deum fingis? num ergaſtularium *b* putas?

Secunda. Intelligendum probè quid ſit *voluntarium*, quid *minus voluntarium*. Quam primum homini implicato ſcrupulis objicitur cogitatio,

a *Aug. l.* 10. *Confeſ. c.* 28. b Halteſtu Gott für einen Stockmeiſter?

gitatio, tametſi ſint motus primò primi, ut in ſcholis loquuntur, mox ille tamen peſtiferæ cogitationi ſe conſenſiſſe ſuſpicatur, aut etiam credit. Hunc talem Auguſtinus in ſpem meliorem erigens: Nullum eſt, inquit, peccatum niſi ſit voluntarium. a At homo ſcrupuloſus, inquies, ſe cogitationi pravæ conſenſiſſe putat. Obduco ego: Putare, non ſatis; ſcire aliquid eſt. Prima cogitatio, quæ animo ſe ſe objicit, peccatum non eſt, ſed in eâ cogitatione morari, hærere, oblectari, hoc peccatum eſt, & conſenſus ſaltem in oblectationem: Si quis ulterius progrediatur & dicat: Si mihi non deeſſet occaſio facere, quod cogito, certè facerem; hic demum verus eſt in ipſam peccandi actionem conſenſus. Examinandus eſt igitur homo ſcrupuloſus: Num placuit tibi maligna illa, ſeu blaſphema, ſeu immunda cogitatio? Minimè verò, dicet; nil æquè diſplicuit. Quid ergo trepidas? peccatum, ut Auguſtinus docet, eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.

a *Aug. l. de verâ relig. cap.* 14.

TERTIA. Diffidendum eſt judicio proprio Cautiſſimè monuit Hebræus ſapiens : Ne inniraris prudentiæ tuæ. *a* Nullus hominum ſibiipſi ſatis ſapit, quantò minus ille qui ignorare vix poteſt, in extremo margine, ſe periculoſè incedere. Scrupuloſi autem proprium eſt, opinionem falſam mordicus tenere, nec permittere, ut ab ullo ea eripiatur.

Matthæus memorat Chriſti genibus provolutum ægri Filii Parentem cum hoc ſupplice libello: Domine miſerere Filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur. Nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam. *b* Ita ſane homo ſcrupuloſus lunam gerit in pectore, ex unâ in aliam cogitationem raptatur, vel enim de præteritis peccatis angitur, vel de futuris. Hic facilè metum omnem eximam menti, ſi obſequentem nanciſcar aurem. Quod igitur confeſſionis myſterium, & peccata præterita ſpectat, ſi quis ſincerâ fide, animóque candido, & ſine dolo malo auſit dicere : Tametſi furta, cædes, adulteria,

a *Prov. c.3. v.5.* b *Matth.c.17. v.15.*

Digitized by Google

teria, hiſque commiſiſſem graviora, nihilominus hæc meæ conſcientiæ judici detegerem ingenuè, ad uſque maximam, minimam noxam. Hic certè tam ſinceri animi homo nil habet quod metuat: Non enim errabit, ſi velit, prout diſcentem decet, credere; nec ſuo ſeſe arbitrio regere; nec deerit vir prudens, qui ei dicat, hoc peccatum eſt, hoc non eſt: hoc peccatum grave, hoc levius eſt: hic primus motus, & incurſus diaboli, hæc delectatio moroſa, hic conſenſus eſt. Quod ſi quis ſeipſum hîc ſatis putet ſapere, intricabit & præcipitabit ſe miſerè. Vnde omnium tutiſſimum parere, & viri prudentis arbitrium ſuo præferre, nec detrectare manu alienâ duci ac dirigi.

QUARTA. Fugiendum omnibus modis otium. Nam præter tot nobiles, ſcilicet, otioſitatis fructus; ſunt & ſcrupuli. Homines ſcrupulis malè accepti, ignavâ ſe macerant quiete, imaginoſi, meditabundi multa ſecum animo volutant. a mæſti & perluctuoſi, quia plerumque non ſatis occu-

a Machen Kalender.

occupati, ſi non penitus otioſi. Scis, mi Lector, cui hominum præſertim divitum afflictiones ſæpe tam graves ac pænè intolerabiles videantur? Non ſatis occupationum habent, commentantur, ſedent, & meditantur de rebus variis, & miſerias ſuas cogitationibus ſuis plurimum augent. Egenus opifex totus in ſuis laboribus eſt, hoc unum dies noctesſque cogitat, quî ſe alat; quid ad farinam faciat, quid pani lucrando expediat; non vacat ipſi alia cogitare. At opulentus non ſatis occupatus, dies noctesſque vaniſſimis, nonnunquam & nequiſſimis mergitur cogitationibus, nunquam facta, nunquam futura ſibi fingit, & mente agitat, & licet documenti aliquid & ſolatii accipiat, mox illud inter animi ſui figmenta perdit. ſi molendino non offundatur triticum, aut melioris generis frumentum, quicquid ſordium rapit, commolit; ita mens humana inſtar molendini eas cogitationes volvit, quas illi bonæ, vel malæ, vel nullæ occupationes ſuppeditant. Multa millia hominum pereunt, non tam
malè

malè agendo, quam nihil agendo. Quamvis qui aſſolet nihil agere, non poteſt non etiam malè agere. His ingerendum illud poëtæ: *Salmaci vel jaculum, vel pictas ſume pharetras.* a Age aliquid, corpus exerce, ingenium acue, memoriam excole, occupationes utiles diſpone, & ſcrupulorum ac vanarum cogitationum tota fugabis agmina: age aliquid.

QUINTA. Sequitur è veſtigio præceptionem quartam. Quando enim homo ſcrupulis infeſtatus, arbitrio ſuo & judicio nequaquam fidere poteſt; totum ſe alterius & judicio & arbitrio committere ac ſubjicere debet, nec aliter, quàm ſicut jubetur, agere. Tobias filium ſapienter erudiens: Conſilium, inquit, ſemper à ſapiente perquire. *a* Hoc ipſum Auguſtinus ſuadens Paulino: Conſule bonos prudenteſque viros, ait, & acquieſce eis. Conſilium ſaluberrimũ ſcrupuloſis; ſinant ſe regi ab eo, cui ſuam commiſerunt conſcientiã, ejuſque ductum in omnibus ſequantur, & velut Angelo rectiſſima monenti morem

a *Ovid. Metamorph.* b *Tob. c. 4. v. 19.*

Digitized by Google

rem gerant. Hac parendi ratione certus eſſe poterit ſcrupuloſus, ſe non erraturum, etiamſi erret, qui ſuadet & jubet. Quod non ſolùm Cajetanus & Navarrus, ſed Vaſqueſius, Filliuzius, Peſantius aliique recentiores theologi docent. Hinc liquet quam Deo ſit grata ſubjectio & obedientia, quâ alter alteri ſeſe regendum credit. Propter hoc obediendi ſtudium nonnunquam Deus extra legem & naturam mirificè opitulatur.

In beati Bernardi cœnobio, ut divus Antoninus memorat, homo religioſus adeò ſcrupulis agitabatur, ut ſacris operari conſtanter refugerit. Hunc Bernardus imperio miti allocutus: Quæſo te, inquit, mi frater, tu rem divinam perage; cetera meæ curæ relinque; hoc ego quicquid eſt criminis, in me recipio; ego defenſor tuus pro te rationem reddam. Tu ita perge, ut jubeo. Paruit, fecit, & ab omnibus conſcientiæ ſtimulis liber evaſit. *a*

Huic affine narrans Climacus:

Annis

a Ant. ſum. parte 1. *tit* 3. *c.* 10.

Annis viginti, ait, ſpiritu blaſphemię graviſſimè impugnatus eſt quiſpiam; quicquid remediorum adhibuit, fruſtra fuit, quia hanc vomicam vitioſo ſilentio texit. Demum quod maligni puris in pectore latuit, ſermone candido aperuit. Cui religioſus ſenex ſuper collum meum ajebat, ſit hoc peccatum tuum; tu illud tantùm floccipende. Statuit obedire; & antequam abiret, liberatus eſt. *a* Ergo, ne innitaris prudentiæ tuæ, & conſilium ſemper á prudente perquire. Ita ſanè liberari poſſunt ex mitioribus his inferis, qui porrectam dexteram non reſpuunt. Plurimi ſic adiuti ſunt, qui totos ſeſe aliis commiſerunt: multi aliter juvari non potuêre.

Nec tamen ſilendum hoc loco, ſæpe ſcrupulos videri, & veros eſſe morſus conſcientiæ, quæ hominem identidem vellicat & monet ſceleris admiſſi. Theodoricus Gothorum Rex, duos principes viros & exſortes culpæ, Symmachum Conſulem, & generum ſuum Severinum Boëtium ob levem affectati regni ſuſpicionem

G 5 juſſit

a *Climac. gradu.* 3.

juſſit interfici. Eodem die prægrandis piſcis caput in cænam allatum eſt Theodorico: quo conſpecto ita territus eſt, perinde ſi capita Symmachi & Boëtii ſibi minantium aſpiceret. Hîc utique non deſuerunt homines ad omnem adulationem facti, qui dicerent: Rex in æternum vive: Non eſt, quod Majeſtas tua hîc quidquam metuat, merum hoc oculorum ludibrium eſt; contemptu vincitur. Hi mores aulæ ſunt etiamnum hodie, cùm adulationibus omnia inaurantur. Sed reverâ hîc conſcientia revixit, quæ flammas, velut Ætna, ſurſum jaculata regem adegit ad extrema. Theodoricus námque à terribili illo in menſâ prodigio in conclave proximum receſſit, intra triduum extinctus. a Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos. Latrantis conſcientiæ morſus non ſemper ſcrupuli, ſed veri ſunt hortatores, ut vitiis emergat, qui ſe iis temerè ſubmerſit.

Vnde Theodorico Theodoſius Imperator pius quantò melior! Viſus eſt

a *Procopius l.1. Crantzius l.3. c.19.*

eſt ſibi optimus Cæſar in agmine formicarum conſidere, & undique torqueri, adeò illum conſcientia ſtimulabat. Hos conſcientiæ ignes ſubjecit præceps in Theſſalonicenſes ira Theodoſii. Ruffinus, vir ad aulæ ritum factus, monitricis conſcientiæ incurius, Imperatori hilares animos ſuggerere, facinus extenuare, ſcrupulos inanes dicere. Ambroſii ſacrum fulmen eludere, faſces, diadema, purpuram monſtrare. At Theodoſius domo clauſus, flens & orans: O Ruffine, ait, tu mea vulnera non ſentis: ego lamentor & gemo calamitatem meam; quia ſervis quidem & mendicis aperta ſunt Dei templa, quæ ingredientes illi proprium Dominum licitè exorant: Mihi verò ingreſſus ad eum non eſt; inſuper etiam cæli mihi ſunt obſerati. Hæc verba ſingultibus, velut infans præfocabat, nec quietem ullam capiebat, dum ſeſe Ambroſius vinculis Eccleſiæ ſolveret, & ablato anathemate in Societatem piorum reciperet. Igitur veriſſimum eſt illud Ambroſii: Nullus major eſt dolor, quam

is, qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam; neque ullum gravius eſt onus, quam peccatorum ſarcina & pondus flagitiorum. a Cura valetudinem, mi Lector, ſed præ omnibus cura conſcientiam, non anxiam, non ſcrupuloſam, non errantem, non dubiam, non laxam, ſed cautam habeas & morigeram.

Caput VII.

Conſcientia cauteriata plus errat, quam dolet.

Eques Romanus vir ingenii faceti calceos ſuos paſſim ab omnibus laudari audiit. Quibus ille: ſint, inquit, elegantes hi calcei, & os populi mereantur: ſed neſcitis, ô amici, quâ parte me urant. Ita non rarò florentes alteri genas gratulamur, tanquam indubitatum valetudinis bonæ indicium, qui latentem ægri pectoris æſtum ignoramus: vel contrà invidemus aliis Bacchanalia, quæ vivunt, ignari morſuum, quibus interim animitus diſcruciantur: Fucata mul-

a *Ambr. l. 5. epiſt.* 18.

multorum probitas, ut nos in admirationem pariter & venerationem ſæpiſſimè trahit! qui pelliculam nitentem præferunt, doctrinam comptam ſpargunt, blandos mores ad omne vaframentum fingunt, homines ſpirituales ſe vendunt: cùm verò ad eorum venitur conſcientiam; CAUTERIATA invenitur. Quid hoc portenti eſt, inquies, & quo cauterio inuritur Conſcientia?

Hîc neceſſariò pluribus diſſerendum ſuper hac re. Et quidem ſi de conſcientiæ hujus nomine ſit ſermo, varium eſt, res eadem. Nam Conſcientia ſurda, dormitans, nimium laxa, propemodum extincta, & cauteriata, vix quidquam differunt. Hoc igitur capite docebimus, quænam à Paulo Cauteriata dicatur Conſcientia, & quo ea cauterio inuratur.

SCRIPTURA.

Conſcientiam habentes cauteriatam
1. Tim. 4. v. 2.

PICTU-

Digitized by Google

PICTURA.


Dolium fatiſcens cum cribro largiter perforato, & mandato ad valuas diſcerpto.

CONſcientia cauteriata à beato Paulo ea dicitur, quæ ſtupida jam, & inſenſilis tam peccati commiſſi, quam amiſſæ gratiæ ſenſum amiſit; ſicut pars brachii aut pedis cauterio inuſta. Hoc potiſſimum olim conqueſtus Hieremias vates de civibus Hieroſolymæis: Percuſſiſti eos, inquit, & non doluerunt, attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam; induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti, a inuſtam ſcilicet & cauteriatam inſenſilem habentes conſcientiam.

Videte & inſpicite conſcientiam Eſau, quam ea cauteriata, ſurda, ſtupida, Capitali odio germanum inſequebatur, & iratas animo cædes coquebat, vivo tamen parente nihil attentare auſus: Venient, inquit, dies luctus patris mei, & occidam Jacob.

a *Hierem. cap. 5. verſ. 3.*

fol. 111.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

Jacob. *a* Sinamus ſenem ſuo defungi fato, & ſentiet frater, me non obliviosſum eſſe vindicem injuriarum. Vltionem ex fratre petiturum ſe negat vivente patre, ſed mortuo, ita patrem plus timuit quam Deum. En conſcientiam, ſed cauteriatam! en cribrum, ſed perforatum quod dimittit, quicquid recipit. *b*

Videte & inſpicite conſcientiam Pharaonis, qui diu luſum impium cum Deo luſit. Nam ſæpius Moſi dixerat: Ite & ſacrificate. mox manumiſſos iterum retraxit. Sed eos iterum dimiſit, iterùmque detinuit, idque novies repetiit. Tandem toties ictus piſcator cœpit ſapere. Cùm enim Ægypto totâ omne primogenitum Angeli rhomphæa cecidiſſet, Pharao ſupplicii diritate, támque immani ſtrage territus, Ite, inquit, Ite, & immolate Domino ſicut dicitis: Oves veſtras & armenta aſſumite, ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi. *c* Vixerat in eo adhuc ſcin-

a *Gen. c.27. v.3.* b Ein Gewiſſen dadurch man kondt junge Hunde beutlen.
c *Exod.12. verſ. 32.*

ſcintilla conſcientiæ: dimiſit populum, ſed coactus: benedictionem petiit, ſed non valde ſerius.

Videte & inſpicite conſcientiam Hebræi Regis David. Poſt adulterium & homicidium patratum, decem menſibus minimum dormitavit ejus conſcientia. Tacuit Rex David, non doluit, non ingemuit, vulnus conſcientiæ diſſimulavit, medicam manum non expetiit; nullum *Miſerere*, nullum *peccavi*, auditum. Vtique conſcientia eum ſubinde monuit; Hoc feciſti, & hactenus non doluiſti. Vbi pœnitentia, ubi gemitus & fletus? Cui David, Tace tu, & quieſce. Si Deus conniveat, cur nos turbemus quieta? Tandem adfuit, Nathan Propheta & dormitantem conſcientiam excitavit his omnino verbis: Quare contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo? Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi. Itaque hęc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tuâ. a Hîc gemitus

a 2. *Reg. cap.* 12. *verſ.* 9. 15.

Digitized by Google

gemitus & fletus, hîc audita vox illa dolentium, *Peccavi*. Hîc vigiliæ, preces, jejunia, cineres, cilicia ſumpſêre initium; Hinc orti clamores illi, Miſerere mei Deus; Tibi ſoli peccavi; Ne projicias me á facie tuá. *a* Hinc largi oculorum imbres illi: Lavabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrimis meis ſtratum meum rigabo. *b* Singulis noctibus fonticulos tam largos depluam ex oculis, ut lecti mei operimentum non madefacere ſolúm, ſed & lavare poſſim; imò, quod phraſis Hebræa docet, natare faciam, eâ diuturnitate atque abundantiá fundam lacrimas. Neque hoc tantùm per unam alterámve noctem, ſed per totas noctes longo tempore has mei lectuli thermas ex oculis emittam. *c* Ita dormitans conſcientia evigilavit, ita cauteriata ſibi integrè reſtituta eſt.

Noëmus ubi crapulam nullo uſu cognitam edormiſſet, temulentum & male

a *Pſ. 50. verſ. 3. 6. 13.* b *Pſ. 6. verſ. 7.* c *Ita lectio Hebræa, ita Hieronymus vertit. Vide Bellarminum in pſ.*

male tectum ſe fuiſſe comperit: dum dormiit, vini potentiam, temulentiæ vires, filii nequitiam planè ignoravit: Qui dormitantem fovet conſcientiam, non cogitat quam infinita ſit cujuſcunque letalis noxæ turpitudo; quæ gratiâ divinâ omni ſpoliat, cælum eripit, dæmonibus illudendum propinat, inferorum ſuppliciis addicit. Vbi autem Noëmus evigilat ex vino; ubi, qui improbè egit, ad ſeſe redit, hæc antè ignota ſibi, agnoſcit. Ita David regi contigit; altùm & diu dormiit, monitus evigilavit, & reſipiſcentiâ illuſtriſſimâ omnem priorem vitam correxit.

Hebræus Hercules Samſon in urbe Gazâ hoſtium formidabili coronâ cinctus, nocte intempeſtâ ſubitò conſurrexit & ambas portæ valuas velut geminos aſſerculos apprehendens in montis faſtigium aſportavit. Hic ipſe, funibus novis ligatus in amicæ ſinu dormiens, hos autem evigilans ut telarum fila rupit: Ita non rarò conſcientia quæ diu videbatur ſurda, ſtupida, cauteriata, tandem conſurgit in iras, & quod celaverat, oſtendit robur. Epi-

Epiphanius narrat doctiſſimum Originem ſub ipſa concione quam ad frequentem populum habeat, ad illud pſalmi deveniſſe: Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum. *a* Hic Origenis conſcientia, velut terra movit inſolito ſuccuſſu. Nam Origines librum quem manu tenuerat, clauſit, & ubertim illacrimans abiit è cathedra, quod meminiſſet ſe Alexandriæ vi tyrannidis attactum Diis obtuliſſe thura. Auditores omnes ſui oratoris miſerti cum flente flentes concionem ſolverunt. *b*

Habuit divinus Paulus nobiliſſimos olim auditores, Romanum præſidem Felicem, & conjugem ejus Druſillam, quæ maritum verum Emeſenorum regem Azizum deſeruerat. *c* Hi duo conjuges ſurdam ceteroqui & ſtupidam, imo & cauteriatam conſcientiam gerebant, ho-

a *Pſ. 49. verſ. 16.* b *Epiphan. de Originiſtarum hæreſi.* c *Ita Ioſephus l. 20. Antiquitat. cap. 5. & de bello Iud. l. 2. cap. 10.*

mines fictorum Deorum cæci cultores. Sed Paulus eo ſpiritu & dicendi ardore de fide in dominum Jesum, de juſtitiâ, caſtitate ac judicio futuro peroravit, ut tremefactus Felix reſponderit. Quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accerſam te. *a* Ita etiam dormitans, ita cauteriata etiam conſcientia evigilat quandoque, & incipit poſt ſuam ipſa ſepulturam vivere.

Sed quodnam illud eſt, inquis, cauterium quo conſcientia inuritur; & fit ſtigmatias? Conſuetudo, & inde nata peccandi libertas. Toties tamque crebris actibus peccatum iteratur, dum obſurdeſcat conſcientia; non quòd illa ægrè audiat, ſed quia homo in peccandi licentiam abjectus, velut in conſcientiæ aures digitum immergit, & oculos obducit velo, dum abſque cenſurâ ſui antigraphei liberè peccet. Ita delinquendi licentia & aſſuetudo velut cauterium, ſeu, candens ferrum Conſcientiam inurit, ut ea vix tenuiſſimè ſpiret, ſurda, cæca, muta & pænè mortua.

a *Actor. c.* 24. *v.* 26.

He-

Hebræorum Regum faſti memorant idolo Moloch vel Melchom filios & filias per ignem conſecratos,*a* quod hoc fiebat ritu. Moloch ærea & fuſilis fuit ſtatua, intus cava, huic ſubjiciebantur ignes dum incandeſceret. Porró infantuli, Molocho immolandi, cum ſtatua jam incanduiſſet ignibus, in idoli brachia ponebantur: Ne autem parentes tam tetro ſacrificio adſtantes, miſerabili ploratu parvulorum percellerentur, ingenti ſtrepitu perſonabant tympana, ut voces morientium non poſſent exaudiri. Parentes parvulorum minimè ſurdi ſed bene auriti, mugientibus tympanis expirantium fletus tamen neutiquam percipiebant: Ita prorſus, conſcientia cauteriata vitiorum inconditos ululatus probè perciperet, ſi tympanorum ſtrepitus abeſſet. Homo peccandi conſuetudine illectus, aures ſibi ipſi hoc tympanorum fremitu obtundit: Quid angeris? Bellè omnia ſuccedunt. Facis, quod multi, quod faciunt omnes; Nunquid tu ſolus habitabis

 cælum?

a 4. *Reg.* 23. 10.

cælum? Bonus eſt Deus, & miſericordia illius ſuper omnia opera ejus. Erit pœnitentiæ tempus, venit dies expiandi animi. Vnâ tunc liturâ catalogum longum delebimus. Nunc carpamus gaudia; jucundè ac hilariter agamus; curemus, ut nobis bene ſit. Aude aliquid brevibus Gyaris dignum. Tempus ridendi, tempus pœnitendi: Vivamus.

Tympaniſtriam ejuſmodi ſacræ litteræ nobis depingunt in Iezabele Regis Achabi conjuge, quæ ſemiſopitam mariti conſcientiam novit in profundiſſimos dare Rhonchos, & reſiduam bonæ mentis favillam funditus extinguere. Rex vicinam in vineam exarſerat, ſed cum illa negaretur licenti, ad inſaniam propè homo incolumis redactus eſt; cùm quia ſpe inopinatò dejectus, tum etiam quód injuria gravi, ut ipſe interpretabatur, affectus eſſet. Vi tamen & regiâ poteſtate abſtinebat, reverentiâ Conſcientiæ bene monentis: donec Tympaniſtria ſupervenit uxor, & triſtitiæ cauſam expiſcata claſſicum canere cœpit: Næ tu homo, inquiebat,

bat, antiquus & albæ mentis es, qui caput gentis iſthæc ab hominum ultimo pateris! Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Iſraël: ſurge & comede, & æquo animo eſto *a* Origo doloris errorisque pariter eſt, quod ignores quid Regem inter & ſubditum interſit: id nempe unicum, ut ille agros & oliveta optima tollat, iſte jacturam patienter ferat: hæc lex iam olim lata eſt cum à judicibus. populus ad regem appellaret. *b* Tu modó æquo ſis animo, ſurge & comede: Ego tibi vineam dabo. Ad hos Tympani ſonitus & bombos altiſſime obdormiit Achab, ut nec animaduerteret quid fæmina nequam, Regis abuſa nomine contra inſontem ſcriberet, quid regio annulo ſignaret: verbo, non ſentiebat ſe venundari, ut malum faceret in conſpectu Domini donec irati Numinis fulmine per Eliam excitatus, veſtimenta ſcindere, carnem cilicio operire, jejuniis vigiliiſque ſeſe afflictare, atque demiſſo in terram capite ſe reum

a 3. *Reg.* 21. 7. b 1. *Reg.* 8.

um profiteri aggreſſus, Deo ſibique ex integro eſt reſtitutus.

Quam Jezabel Achabo intulit mali peſtem, conſcientiæ aures obturando, ab inteſtino ſibi quiſque noſtrum hoſte quod metuat, habet; à Philautia tympaniſtriarum peſſima: cui hæc talia in promptu & ſemper ad manum ſunt tympana:

Quæ dum ſtrepunt, conſcientia velut ſurda, nec commonentis Angeli, nec dehortantis Chriſti voces percipit; ſed in ſylvam itur, è quâ ſæpiſſime non reditur; noxarum in dies plurimum committitur, & nihil expiatur; ſauciatur conſcientia, & non curatur plaga, quia non ſentitur. Vt calloſæ manus ſtrictum gladium attrectant, & non vulnerantur; ita conſcientia ſurda quid divinæ leges jubeant, non ignorat, ſed noſſe diſſimulat; atque ad frugem ſi ſubinde ſeſe recipit, mox in ſylvam antiquam redit. Ideò Chriſtus tam ſeriò à noxis liberum commonuit: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *a* Nam qui

a *Ion.* 5. v. 14.

qui è ſordibus toties emergit, voluntariâ tamen inſaniâ in eaſdem ſemper recidit, hunc Deus demum deſerit. Inde ruina & labyrinthus, præcipitium, exitium.

Hæc cauteriatæ, dormitantis, ſurdæ conſcientiæ ſunt mala, nî præcaveantur maturè. Militemus, obſecro, bonam militiam, habentes fidem & bonam conſcientiam.

CAPUT VIII.

Conſcientia tam bona quam mala, potentiſſima.

ARgus Paſtor centoculus, ut priſci fingebant, unam ſolùm pecudem accepit cuſtodiendam, etſi centeno lumine in eam curam poſſet incumbere. In Colchide inſulâ, ut ferebatur, ovem auream dies noctéſque pervigil draco ſervabat. Anima hominis ſimplex, innocens, ſincera ovi aureæ non immeritò confertur, cui Diabolus perdius & pernox inſidiatur capitalibus technis. Orbis terrarum univerſus etſi voluptatum omnium refertus, Diabo-

Digitized by Google

lo ſparſivæ inſtar pilæ eſt, quâ expulſim & datatim luditur. Hanc ille pilam curat, ſed curat ovem auream, curat animam, hæc illi præda eſt gratiſſima. Incredibile prorſus eſt, quam implacabili eſurie Apoſtata hic Angelus in animas feratur. Fames rapiendarum animarum inſaturabilis, & quod dixit Habacuc, Cibus ejus electus. *a* Hoc ſapientiſſimus Deus ab omni æternitatis principio futurum prævidit, ideò huic ovi aureæ, ſuum velut centoculum cuſtodem poſuit qui interdiu noctuque vigilaret, & in commiſſam ſibi ovem curam omnem defigeret.

Fidus hic cuſtos tot oculis ornatus, eſt hominis Conſcientia, quæ ſi ſuo jure ſinatur agere, & facere officium, ſollicitè ac vigilanter attendit, ne quid domeſtica Reſpublica detrimenti capiat, & ubi quid periculi notat, mox monet, ne ovis aurea Orciniano prædoni in prædam cedat. Diximus, quid Bona ſit Conſcientia quid Mala, quid Erronea, quid Dubia, quid ſcrupuloſa, quid Cauteria-

ta.

a *Habac. cap.* 1. *verſ* 16.

Digitized by Google

fol. 123.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

ta. Ordo nunc poſcit ut Conſcientiæ vires & actiones explicemus.

SCRIPTURA.

Habentes myſterium fidei, in Conſcientia pura. 1.Tim. 3. v.9.

PICTURA.

Gallus gallinaceus Tubam inſiſtit: Duo ſunt hæc Horologia; Militiæ & Pacis.

GErmani Fratres Joſephi, Ægyptii proregis, genus hominum indoctum, agreſte, impolitum, rude, incultum, nihilominus in eis ſingulariter eluxit quantarum eſſet virium conſcientia. Res eis in Ægypto malè ceſſit, acriter examinati, rigidè excuſſi, exploratores proclamati, triduũ in vinculis attenti. At illi collatis capitibus & ſermunculis: Meritò, inquiunt hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem noſtrum, videntes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus. Idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio. Ad quæ ſubjungens Ruben: Nunquid

non

non dixi vobis, inquit, nolite peccare in puerum; & non audiſtis me. En ſanguis ejus exquiritur. *a*

Quis vobis, ô viri, hoc dixit? quid Conſcientia? Quis veſtræ afflictionis & ſanguinis exquiſiti cauſſam vobis expoſuit? an non Conſcientia? Quis crimen tam vetuſtum, & pænè jam oblitteratum in memoriam revocavit? Certè Conſcientia. Viginti tres anni abierant, cùm illa in Fratrem perfidia eſt deſignata, nihilominus poſt tot annos in hominibus imperitis ac ruſticis etiamnum monet Conſcientia, & officio ſuo fungitur. Reverâ hic creditor tenaciſſimæ eſt memoriæ, debitorum non obliviſcitur. Veriſſimè dixit Tullius: Magna vis Conſcientiæ *b* Magna vis.

Porrò Conſcientia tria potiſſimùm obſervat tempora quibus potentiam ac vires ſuas exercet. Primum eſt *Futurum;* ſiquidem Conſcientia non parcit operæ, nec quidquam prætermittit, omnibuſque viribus elaborat, ut hominem à peccato committendo abducat. Nimirum noxas cavere ſummè

a *Gen.* 42. b *Cic. pro Milone, orat. med.*

ſummè ſtudet. Ecquis enim illas conſcientiæ voces non ſubinde audit? Omitte hoc, obſecro, cave hoc, vide ne iſtud feceris, pedem retrahe, latet anguis in herbâ; manum abſtine, latet ignis ſub doloſo cinere; brevis eſt voluptas, longa pœnitentia: momentaneum quot delectat, æternum quod cruciat, æternum. Cogita ergo quanta malorum ſeries è peccato unico naſcatur: cogita & cave malum.

Alterum tempus quod obſervat conſcientia, eſt *Præſens*. Nam ſi monitum reprimere, & abſtinere noxâ non poſſit, ſaltem vellicat hominem dum peccat, & melli aliquid admiſcet fellis, & abſynthium attemperat Apiano. *a* ut quem penitus ab improbitate arcere non poteſt, eum ſaltem citiùs reducat ad pœnitentiam. Chriſtus modis omnibus egit ne ſui Diſcipuli in Olivario monte dormirent, damnum è ſomno ſecuturum prædixit; jam dormientes non ſemel monuit: cùm autem ſuos in excubiis continere non poſſet, tandem eos vi excitavit: ſurgite, eamus. Ita ferè Con-

a Mußcadel Trauben.

Conſcientia ſi primo alteroque tempore nil promoveat, nec coercere poſſit á libidinibus abreptum, tandem vi excitat,& peccati abominanda monſtrat, angit, torquet, cruciat; terrores ingerit & vociferatur: Inferi te expectant, aut ergo reſipiſce, aut peri.

Auguſtinus eleganter hac de re diſſerens: Quomodo, inquit, magna eſt pœna, impiorum conſcientia, ſic magnum gaudium piorum ipſa conſcientia. Quem pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat niſi damnationem. Vt ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam, & ut habeat bonam conſcientiam, credat & operetur. *a* Credere fidei, operari charitatis eſt.

Illud admiratione dignum, qui tandem nos imperitiſſimi rerum Æſtimatores peccatum nondum perpetratum extenuemus, nihili pendamus, nugas æſtimemus & ludicrum. Hîc quiſque ſibi ipſe dicit: Res factu facillima, nil eſt periculi; perge & au-

a *Aug. tom.8. in pſ.53. mihi pag.211.& in pſ. 31. mihi pag.76.*

& aude. Sed cælum perdo? Tu perge. Sed ad orcum propero? Tu perge; facilis venia his culpis. Ita cæci ruimus, quò noſtrę nos trahunt libidines

At ubi peccatum eſt perpetratum, jam crevit in immenſum ſuóque pondere jacentem pænè ad deſperationem trahit. Ita primi parentes noſtri dixerint: De pomo agitur; quantillæ hoc culpæ ſit, pomum libare? Vbi verò pomum admorſum eſt, Aperti ſunt oculi amborum, & videre miſeri, quam malè ſint veſtiti. Ideò in veſtem rapuerunt folia, & latebris ſe occultarunt. Ita qui peccat, ante commiſſum peccatum, amentiâ & libidine cæcus, cæciſſimus eſt; ſcelere jam ſuſcepto aperiuntur oculi, & peccatum quod antea nullum videbatur, incipit eſſe maximum. In Romanis olim ſpectaculis pegmata viſebantur, ſeu ambulantes machinæ, mobiles montes, gradientes domus, quæ initio plerumque humiles & depreſſæ, ſubitó in admirandam excreverunt altitudinem: Ita peccata initio viſa exilia & veniæ facillimæ, ubi in opus prodierunt, jam gigantes

ſunt

ſunt terribiles ad animi abjectionem impellentes. Quæ metamorphoſis advertit Ethnicum, ut ſcriberet, perfecto demum ſcelere, magnitudo ejus intelligitur. *a*

Quemadmodum ingentia plerumque flumina exili oriuntur ſcaturigine, & anguſto fluunt alveo, quem anus tranſiliat; paulatim inde ita dilatantur, ut qui principio fluebat rivulus, poſt aliquot decurſa ſpatia, fiat fluvius. Ita Danubius modicâ origine naſcitur. *b* Sed eundo ſic creſcit, ut brevi navigiorum patiens fiat: Ita prorſus antequam impuritas & flagitium ſuſcipiatur, appellari ſolet humana fragilitas, facilis lapſus, malignior indulgentia, negligentia ſolutior: ita improba cupiditas, flagitioſa obſcænitas, impura voluptas, initio tenuis ſcaturigo eſt: at ubi cogitata prodierunt in opus, ubi cupidines tranſierunt in facta, jam rapaciſſimum flumen minantur. & hominem ſubinde non anxium tantum, ſed deſperabundum reddunt.

Iſcariotes proditor videbatur ſibi ſum-

a *Tacit. l.* 14. *Anal.* b Don Eſchingen.

ſummum facinus non difficulter poſſe concoquere. Ita rem animo expedito aggreſſus, faciles ſibi conficiens rationes: pecunia dixerit, quam à ſummis ſacerdotibus ſum accepturus mihi proderit; magiſtro meo non multum oberit hæc delatio: ille faciles extricandi ſe vias inveniet. Cæpimus; dimidium facti eſt; pergamus. Videns autem quod damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos, dicens; Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. a Deus bone: immanè, ingens, execrandum facinus viſum eſt infeliciſſimo mercatori tam modicum, tam facilè excuſandum delictum: jam laqueus, præcipitium, Orcus nocentem hauriunt. E tali rivulo tam ſalſum profluxit mare.

Noxa caput ſequitur: Quod vetus poëta eleganter explicat hoc metro.

Raro antecedentem ſceleſtum,
Deſeruit pede pœna claudo.

Cor ſontis palpitat nemine concutiente. Adeò Conſcientia urget; ſtimulat, impellit, ut reus ſæpiſſimè non meliorem ſui proditorem inveniat.

a *Matth. cap.* 27.

niat ſeipſo: ſeipſum Judas accuſat, damnat, enecat. Dignus carnifex tam ſceleſto capite.

Memoria eſt Norimbergæ duos è Mercurii proſapiâ laverniones ante urbem in prato (*Alberwiſz* vocant) conſediſſe. Forte fortunâ duo lictores illuc tendebant, nil minus cogitantes, quam fures capere. At duo illi Zonarii ſectores, quam primum geminos venatores vel eminus obſervarunt, malâ moniti conſcientiâ utique ſeſe tanquam patibulum jam dudum meritos quæri exiſtimârunt; unde de fuga ſollicitè cogitare, & in aquas, cum aliud effugii non eſſet, ſeſe præcipitare: argumento malitiæ plus quam certo. Fugit enim impius nemine inſequente.*a* Hoc facto, quoniam ſeriam facinoris ſuſpicionem, importabat, miſeri in vincula rapti & non multo poſt in Crucem acti ſunt. ut vel hinc liqueret verum eſſe, quod germani dicunt maturum patibulo furem curſu lictor etiam claudus aſſequitur. Impedita ſcelere conſcientia facilè tremit, inhorreſcit,

a Prov. cap. 28. verſ. 1.

reſcit, fugit. Et ut optime dixit Tertullianus: Nullum maleficium ſine formidine ſupplicii, quia nec ſine conſcientiâ ſui. Cui aſtipulatur Polybius: nullus teſtis, inquit, tam formidabilis, neque judex tam gravis quam conſcientia, quæ menti cujuſque inſidet & inhabitat. Quare meritò Annæus Seneca: exclamat; O te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem. *b*

Pacatus in panegyri Theodoſianâ memorat, in eo bello quod contra ſervos Domini geſſerunt, proludium prælio factum flagellis ante aciem concuſſis. Perinde ſi fecialis proclamaret: Hæc arma vos nebulones ad officium faciendum adigent; ipſa vos conſcientia & innatus flagellorum metus ad priſtinam ſervitutum reducet.

Tanta nimirum vis eſt conſcientiæ, ſicuti cùm infanti reo monſtrantur virgæ, mox tremor, pallor, aut rubor palpitantis animi notas loquuntur. Quod Iſidorus eruditè illuſtrans Omnia, inquit, fugere poterit homo

a Ein zeitigen Dieb erlaufft ein hinckender Schörg. b *Seneca in epiſt. 43.*

Digitized by Google

præter cor ſuum. Et quamvis humana judicia ſubterfugiat omnis, qui malè agit, judicium tamen conſcientiæ ſuæ effugere non poteſt. Nam etſi alios celat, quod egit, ſeipſum tamen celare non poteſt, qui plenè novit malum eſſe, quod geſſit. Deinde illud pſalmi explicans: Abyſſus, inquit, abyſſum invocat in voce cataractarum. *a* Abyſſus conſcientiæ, abyſſum gehennæ. Sua hominem conſcientia cruciat, accuſat, judicat, ſententiam pronuntiat, capite damnat, quid mirum ſi damnatio eum ad ſe rapiat. *b*

Maxima vis conſcientiæ in utramque partem. Si ea bona & erecta ſit, nulla humana judicia metuit, neminem nec hominum nec angelorum extimeſcit, ſed nec mortem, nec inferos, nec omnes Diabolos pavet, Deum ſolum eatenus duntaxat timet, ne offendat. Quamdiu propitium ac benevolum ſibi arbitratur Deum, tamdiu ei ſalva ſunt omnia.

Quâ in re liber de imitatione Chriſti animoſitatem ſuggerit & monet:

Huma-

a *Pſ.41.v.* b *Iſid. l.2. ſent. c.25.*

Humanum non metuas judicium, ubi te conſcientia pium reddit & inſontem. a Quo uſus clypeo Auguſtinus, Secundinum Manichæum impugnans: ſenti, ait, de Auguſtino quicquid libet, ſola me conſcientia non accuſet. Ita quilibet erectioris conſcientiæ homo de ſeipſo pro ſeipſo dixerit: Vos alii de me loquimini, judicate, ſpargite, fabulamini, blaterate, criminamini, quicquid lubet, tenacem & faſtuoſum, mendacem & litigioſum dicite, nomen meum dentibus convellite, labores meos floccifacite, ſola me conſcientia non accuſet, ſalva mihi omnia; nec os veſtrum maledicum, nec mordaces dentes veſtros quidquam curo; una me conſcientia tuetur, ſat tutus ero; hic murus aheneus eſto adverſus omnes criminantium phalangas.

At verò contra, ſi conſcientia ſit mala; vel cadente foliolo, vel prorepente muſculo, vel latrante catello, vel ſibilante myagro. b vel muſſitante homunculo, terrefiet malè ſibi

a Thom. de Kemp. l.3. c.36. b Serpens innoxius circa domos verſans. Nicandro.

conſcius. Prædixit olim Deus: Terrebit eos ſonitus folii volantis. *a* Difficile, vultu facinus diſſimulare; oculi pavidi & inconſtans in ore color, & lingua titubans, aliæque animi notæ in facie relucentes, ſcelus eloquuntur. Reperias homines, qui neminem rectis oculis, conſcientiâ id agente, audeant intueri. Nam nimis quam verum eſt, quod poëta cecinit.

Heu? quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu?

Cum Tullio ſentimus, Eam eſſe vim conſcientiæ, ut nihil timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent qui peccarint. *b* Sed Tullio melior multò Auguſtinus: Quod alienum eſt, inquit, ab opere, alienum eſt à conſcientiâ; quod alienum eſt à conſcientia, alienum videtur & à ſcientia. *c*

Igitur cum beatiſſimo Paulo pro ſe quiſque dicat: In hoc & ego ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere bonam, ad Deum & ad ho-

a *Levit. c.26. v.36.* b *Cic. pro Milone erat med.* c *Aug. in pſ.34. mihi pag.104.*

Digitized by Google

homines ſemper. a Et miſerrimum credat illum, quicunque ſpernit hunc teſtem ſuum; teſtem qui coram orbis judice loquetur; qui authoritatis plus quam potentis, & nullis ambagibus eludendæ! nullis rationibus elidendæ!

CAPUT IX.

Conſcientia inextinguibilis.

LAurus, ut ajunt, fulmine non afflatur, veluti amica Cælo arbor. Hinc Imperator Caligula qui nunquam non ſceleſtæ fuit conſcientiæ, tonitrua, tempeſtates, fulgura, fulmina ſupra modum extimuit. Tranquillus teſtis illaudatæ hujus timiditatis: Ad minima, inquit, tonitrua caput obvoluebat lauro. Laurus inprobæ conſcientiæ videbatur pro clypeo eſſe. Vnde etiam apud ſtobæum Bias: Sicut laurus, inquit; non timet fulmen, ita bona conſcientia nulla palleſcit culpâ: non meticuloſa, terroris expers, colorem non mutat, animoſa eſt. Bona conſcientia lau-

a *Actor. cap. 24. verſ. 16.*

laureum ſertum eſt adverſus fulmina omnia, undecunque advolantia.

Integer vitæ ſceleriſque purus.
Non eget Mauri jaculis nec arcu. a

Potentiſſima eſt Conſcientia, ſeu bona ſit, ſeu mala. Bona quidem neminem mortalium timet, Deum ut ſummum bonum diligit, peccatum ut ſummum malum metuit, odit, fugit: Mala timet omnia, vel ipſius umbræ umbram; nec unquam ceſſat ſuo homini occinere: Meritò hæc pateris, quia peccaſti in Deum tuum. Difficillimum opprimere conſcientiam, penitus illam extinguere, nemo poteſt: Quod hoc capite declarabimus.

a *Hor. l. 1. od. 22.*

SCRIPTURA.

Rurſus tolle volumen aliud, & ſcribe in eo omnes ſermones priores
Ierem. 36.

PICTU-

fol. 137.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

PICTURA.

Phœnix in Flammis.

CVm Hebræus Rex Joachim ſub hiemis auſpicium, Novembri menſe, in ſuo conclavi conſediſſet, miſit aulicum famulitium, ut è templo volumen legis ad ſe deferret. Delatum eſt, & lectum audiente Rege & univerſis principibus, qui ſtabant circa regem, Rex a. ut ſacra pagina teſtatur, ſedebat in domo hiemali, & poſita erat arula coram eo plena prunis. Cumque legiſſet Iudi tres pagellas vel quatuor, rex illud ſcidit ſcalpello ſcribæ, & projecit in ignem, qui erat ſuper arulam, donec conſumeretur, omne volumen igni. Ex omni numero principum tres ſolùm conabantur inhibere regem, ne ſacros libros flammis donaret. Sed nihil effectum. Rex inſuper Baruch ſcribam & Hieremiam prophetam comprehendi & in vincula dari juſſit. Sed fruſtra. Nam Deus Hieremiæ vati mox imperans: Rurſum, inquit tolle volumen aliud & ſcribe in eo omnes ſer-

mones priores. *a* Hos Baruch ex ore Hieremiæ, Hieremias ex ore dictantis Dei accepit. His excidium Solymæum præcipuè prædicebatur; nec aboleri poterant prædictiones iſtæ. Quod Deus ſcribit aut dictat, penitus comburi non ſinit, novos ſcribit, alios dictat, poſt aliquot etiam centurias annorum. Ita conſcientiæ admonitiones, etſi ſępius velut comburantur, mox tamen aliæ iterumque aliæ iis commonitiones ſuccedunt, *ſcribit conſcientia omnes Sermones priores*, quia Deus hos dictat. Conſcientia non poteſt extingui. De hac rectiſſimè Tertullianus: poteſt obumbrari, quia non eſt Deus, extingui non poteſt, quia à Deo eſt. Tot improbi affectus poſſunt quidem conſcientiæ velut ſpeculo velum præpandere, illam tollere non poſſunt, & præpanſum hoc velũ ſuo tempore amovetur.

Juſtus Lipſius Conſcientiam eruditè vocat *Characterem indelebilem*. b Aſſerculus in aquâ millies ſubmerſus uſque tamen ad ſummum redit & ſupernatat. Premi poteſt, conſcientia

& mergi,

a *Ier.* 36.28. b *Lipſ. l.* 1. *Mon. Pol c.*6.

& mergi, non opprimi poteſt non ſubmergi. Herodes quotquot erant, omnes nefarii homines, & variis ſceleribus infames, conſcientiam tamen abolere non potuerunt. Herodes Aſcalonita tyrannorum coryphæus, notæ crudelitatis Rex, qui quatuordecim millia. *a* infantum, velut unicâ ſicâ per unicum jugulum immerſâ trucidavit. Herodes Antipas Joannem Baptiſtam aulicum concionatorem ſuum obtruncavit gladio, Chriſtum. Pontio tranſmiſſum morionis veſte induit, & ad Pontium remiſit. Herodes Agrippa Jacobum Apoſtolum occidit, & ad populum ſuperbiſſimè verba fecit. Hi omnes conſcientiam miſerè preſſerunt, ſed opprimere nequiverunt. Combuſſerunt ſermones Domini, ſed ſcripſit Dominus omnes ſermones priores. Herodes Aſcalonita pollicetur ſe venturum ad cunas novi Regis; Quis ei veniendum dixit? Conſcientia. Herodes Antipas Ioannem Baptiſtam magni æſtimabat, & metuebat eum, ſciens eum virum juſtum & ſanctum,

 & au-

a *Id alibi probamus.*

& audito eo multa faciebat,*a* cetero-qui omiſſurus. Cur iſtud obſecro? Conſcientia hoc ei perſuaſit. Herodes Agrippa non otioſus Rex fuit, pro tribunali ſedit, ubi non ſolùm judicem ſed & concionatorem egit: Quis illum hoc docuit? Conſcientia. Conſcientiæ liber in ignem abjicitur,ſed non omnino comburitur. Aliquando quidem in hominibus nequiſſimis combuſtus creditur, ſed à ſuo ipſe funere reviviſcit, & ſub vitæ finem panditur, quando conſcientia ſub mortis tempus evigilans ſcribit omnes ſermones priores.

Hîc ego ſpeculum ponam iis omnibus qui conſcientiam premunt, & illam ad turpe ſilentium adigunt: ſive hi Aulæ ſeu Bellonæ ſive humanæ gratiæ ſint ſectatores: ſeipſos in eo ſpeculo, quoties libuerit, contemplari poterunt.

Ante annos quadraginta vir magni nominis,uni principum à cubiculis,in aulâ non unâ tam charus quam notus; homo ad mundi leges exactè factus, natus, ſtatura inſigni, formâ gravi

a *Marci cap. 6. verſ. 20.*

gravi & maſcula, moribus comis, & ad amuſſim aulicus: nec linguarum rudis; Muſicâ Orpheus, & inde nemini non admirandus, pecuniæ & fortunarum ſi eas regere ſciſſet, non modicus; gratiâ dominorum, quæ divitiis omnibus præfertur, ſingulariter abundans. Nam etſi clavem auream á principe ſuo habuerit, tamen non niſi ter quatérve in anno ad obſequium ſe ſtitit, principali gratiâ nil inde imminutâ. Et quod mireris, ad plurium dominorum ingenium ſeſe attemperare calluit. & quidem plus æquo. Nam in unius domini gratiam miſerè afflixit ſuam conſcientiam, cùm hominem, domino exoſum, Venetiis intra domeſticos canales per jocum ſuffocari curavit. Dominus tam ſecundum necis eventum gratulatus, litteras miſit quibus pæne gratias egit, quod avem nimis garrulam ſilere docuiſſet, ſuam porro gratiam ob patratum facinus in ævum omne obſtrinxit. Sed innocenti ſanguini vindicta non defuit manifeſtaria. Nam etſi perilluſtris ille dominus litteras ſuas comburi voluerit, vir ta-

men ille aulicus, non ignarus dominicam gratiam, ut odoratum vinum, & amorem impurum nocte unâ evaneſcere, *a* litteras ſibi miſſas cautè ſervavit, ut ſi Dominus langueſcente olim benevolentia deſineret eſſe gratioſus, & Famuli favorem ejiceret, ipſe tabulis ſignatis agere, & ſeipſum in gratiam poſſet reponere (Poſt aulici mortem inventæ litteræ tragœdias horribiles excitarunt.) Porrò conſcientia palatini hujus fœdè ſauciata monendi ſpacium rariſſimè habuit, quia Dominus ipſius pænè quotidie bacchanalia vixit. Contigit nonnunquam ut probè appotus domum rediens, organum acceſſerit, fides tentarit, pſalmum quinquageſimum (Miſerere) numeris concinuerit, oculis interim liberaliter lacrimantibus, nemini niſi cognatâ femina præſente, nec leviter mirante hanc muſices & lachrimarum mixturam. Denique patuit quid nocturnus hic oculorum nimbus ſibi voluerit.

Apud

a *Germanorum proverbium,* Herren Gunſt Frawen Lieb / Negelenwein / riechen über Nachtauß.

Apud hos tales, cum ſobrii ſunt, Conſcientia vix unquam loquendi copiam petit, quin ei reſpondeatur: Tace tu, & quieſce, nil iſtud ad te; tace, & meam mihi tranquillitatem ne turba. Vbi verò ejuſcemodi homines plus paullò adbiberunt, vino jam ſemigraves, præſertim ſi ſoli ſint, hîc evigilans conſurgit Conſcientia, & clienti ſuo acerbas ingerit voces: Nunc ego te deprehendo improbe: velis, nolis, audire me debes. Hæc, & hæc, & hæc etiam feciſti: diu diſſimulavi, diu tacui. Quid ad hæc habes dicere ſceleſtum caput, & jam pridem Orco debitum? Hinc gemitus & ſuſpiria, hinc etiam quandoque lachrimæ. Scintilla Pietatis hîc gliſcit, ſed temulentæ.

Reverâ tales Conſcientia per cuniculos aggreditur, ſed peſſimum illud, quod domeſticus hic concionator ebrium habet auditorem, qui poſtridie dictorum non amplius ſit memor.

Ita ille, quem dixi, Palatinus, nocte quandoque mediâ conſcientiam audiit loquentem. Secutus dein ſomnus

nus in plurimam lucem ad horam diei nonam aut decimam. Iterum convivia & hilaritas priſtina, iterum ludus jocique omnia nocturni concionatoris monita extinxerunt. Hoc autem vitæ genus diu durabile non eſt. Appropinquant anni, de quibus dicitur: Non mihi placent. *a* Sentitur tandem, ſed plerumque nimium ſerò, quid noxæ tulerit, monitricem Conſcientiam non audiiſſe. Venit ergo Palatinus ille ad lectum, & unâ ad letum: morbo gravi & mortifero affectus eſt. Reviſerunt ad ægrum Veteres Sodales Combibones, venerunt & viri religioſi: utrique pergrati, ſi una caliculos ſorbere, ſi quid novi rumoris ex Hiſpaniis, è Belgio, è Galliis narrare, ſi ſubinde etiam fritillum & abacum luſorium movere voluiſſent. Narratiunculæ de cælo, de morte, de inferis ab hoc ægro proſcriptæ: hæc enim ut mæſta, conſtanter juſſit faceſſere á colloquiis donec ad extrema devolutus hic ęger, nulla pœnitentis animi argumenta relinquens, ipſam imaginem Chriſti crucifixi

a *Eccl.* 12. 1.

cifixi ſputo petiit, atque ita obiit. Funus cum duceretur teterrimum in templo fœtorem ſparſit, utinam non indicem ejus odoris, quem in vita flagitiis ſuis Deo & Cælitibus præbuiſſet! ſic vivitur, ſic itur, ſic interitur. Quid illi Clavis aurea ad anguſtam Cæli portam conduxerit, Deus nôrit: nobis jus gladii non eſt in defunctos; ideo ſententiam continemus. Eſt judex, qui Cælo & orco homines addicat: hæc arcana nobis ſcrutanda non ſunt. Potuit enim ille Palatinus æger ob vim dolorum imaginem Chriſti conſpuiſſe; potuit cadaver naturali cauſa odorem tam gravem halaſſe. &c. At nolim ſaltem ego cum talibus vivere, multò minus mori. Hic ſolum, quod oculi & aures præſentium teſtabantur, narravi.

Scis mi Lector, quem hîc depinxerim? dicam tibi, ſed in aurem quem mihi minus notum velim fuiſſe: tibi autem in documentum altiſſimè animo tuo impreſſum, ut memineris, domeſticum Concionatorem tuum, Conſcientiam non audire, aut contemnere periculoſum, nimiſque va-

num. Conſcientia enim, etſi centies iterumque centies non audiatur, abdicetur, repellatur, uſque tamen redit, queritur, monet, clamat, hortatur, dehortatur, increpat. Bernardus hanc Conſcientiæ pertinacem aſſiduitatem obſervans: Peccata mea, inquit, celare non poſſum, quoniam quocunque vado, conſcientia mea mecum eſt. ſecum portans, quidquid in ea poſui, ſive bonum ſive malum. Servat vivo, reſtituet defuncto depoſitum, quod ſervandum accepit. Si malè facio, adeſt illa: ſi autem bene facere videor, & inde extollor, adeſt illa. Adeſt vivo, ſequitur mortuum, ubique mihi gloria vel confuſio eſt inſeparabilis pro qualitate depoſiti. Sic ſic in domo propriâ, & propriâ familiá habeo accuſatores, teſtes, judices & tortores. Accuſat me Conſcientia; teſtis eſt Memoria; Ratio judex; voluptas carcer; timor tortor; oblectamentum tormentum. Quot enim fuerint oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira: Nam inde punimur unde delectamur. *a* Quid verius

a Bern. in mediat. ſive lib. de animac. 13.

rius & pulchrius, quid enim etiam dulcius hoc Claræ-vallenſi melle?

Hæc omnia Chryſoſtomus ſacrâ facundiâ confirmans: unicuique noſtrûm, inquit, inſitum indepravabile judicium conſcientiæ, quod potiſſimum omnem nobis defenſionem tollit, quòd non per ignorantiam in peccata incidimus, ſed per animæ deſidiam, & virtutis negligentiam. *a* Oratore hoc antiquior alius è Latio, ducentis annis, ita finit dialogum ſuum, OCTAVIUS *inſcriptum*. Conſcientiam ſuam non decipit, qui fallit alienam. Apud nos & cogitare, peccare eſt. Vos conſcios timetis, nos adeò ſcientiam ſolam, ſine qua eſſe non poſſumus. Ita Minucius Felix.

Conſcientia non raró facit quod plebeja femina, quæ maritum vinolentum & in cauponis potitantem ſubinde domum reducere conatur, ſed plerumque fruſtra. Nam ebrius decoctor has uxori voces reddere ſolet. Quid tu hîc rerum agis, femina?

a *Chryſ. tomo. I. in cap. I. Geneſ. hom. 5. mihi pag. 23.*

Digitized by Google

na? quid mihi uſque & uſque & uſque odioſa & moleſta es? Mox abi ad colum, lanam carpe, duc fila. Hinc te actutum ejice. Aut ego. Illa quia ſapit, tacet, & abit. Vbi domum vir redit, aut luce poſterâ, cùm crapulam maritus edormiit, iras illa reſumit, pridianum potatorem exagitat, malè accipit, convexat, eum eò redigit, ut quò ſe vortat, neſciat. Coram aliis hæc concio vires nullas habuiſſet, at domi, audacter jure ſuo uxor utitur: Ita conſcientia inter epulas & ſympoſia, inter affectuum varios & rixoſos ſtrepitus ſe ſe inhumanè, durius, contumelioſè dimitti patitur: at ubi quis in ſeipſum deſcendit, & velut domum redit, tunc provolat conſcientia, & concionari incipit, tanquam acerba mulier marito.

Hac de ebrioſo homine & ejus uxore, ſimilitudine Auguſtinus in Pſal. 33. uſus: Beati, ait, qui gaudent quando intrant ad cor ſuum, & nihil mali ibi inveniunt. *a* Qui garrulas, ſtomachantes, litigioſas uxores habent,

a Aug. tomo 8. in pſ 33. mihi pag. 96. col. 4.

bent, in foro malunt quam in domo verſari. Cùm meridies ad prandium vocat, eſuriunt quidem, ſed redire domum eſt grande tormentum; mox enim uxor tonare, ſtomachari, fulminare, debacchari incipit. Hîc miſer maritus utroque verſum occiſiſſimus eſt. Domum redit? concionem audiet amariſſimam. Non redit? Latrabit ſtomachus, nec enim ad forum deferetur cibus. Quantò ſunt miſeriores, inquit Auguſtinus, qui ad conſcientiam ſuam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur. Ergo ut poſſis libens redire ad cor tuum, munda illud. *a* Suam quiſque domum, ſuas certè latebras habet, qui á laboribus & negotiis feſſus ſe recipiat ac reſpiret. Si & illic inquies & rixæ ſint, ubi quieſcet? ſaltem ergo in cubili cordis tui pax ſit, ut tollas te ad interiora conſcientiæ tuæ. Ajunt proverbio, tecta perſtillantia, mulier litigioſa, ligna fœdùm fumantia exigunt domo. *b* Tu vide, quieſcas intus in cubili tuo, non ejiciat te

a *Idem ibid in pſ. 35. ante med. mihi pag.* 105. b *Prov.* 19. *v.* 13. *&* 27. *v.* 15.

te inde fumus malæ conſcientiæ. Ad tuam ipſe conſcientiam ſis attentiſſimus: os ſibi non ſemper obligari ſinet; ſubitò proſiliet velut acerbiſſimi oris mulier, & clamabit & vociferabitur, & accuſabit. Attende tibi & conſcientiæ, ne tecta tua perſtillent, ne pluviæ ac nives ſeſe infundant, ne omnigenæ libidinis cogitationes penetrent. Attende tibi ne fumus graviorum noxarum tuâ te domo pellat. Summa ſummarum hæc erit, ab Auguſtino tradita: Vt poſſis libens redire ad cor tuum, munda illud.

CAPUT X.

Conſcientiæ vultus in morte hominis.

THracum & Scytharum morem in congerendis calculis memorat Philarchus. In Thraciâ urnulas, in Scythiâ pharetras ponebant, in eas quotidie albos vel nigros lapillos injiciebant. Si dies fuiſſet proſper & lætus, lapillus injiciebatur candidus; ſi triſtis & infauſtus, calculus ater & piceus in urnulam vel pharetram

tram immittebatur. Vbi quis diem ſuum obiiſſet, prolata ejus urnula vel pharetra, numerati calculi tam nigri quam albi; ſi iſti numero ſuperaſſent felix ac beatus judicabatur mortuus; ſi nigrorum fuiſſent plures, miſer & infelix cenſebatur. Hoc ritu monet Aulus Perſius:

Hunc Macrine Diem numera meliore lapillo, &c.

Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim.

Illa prius cretâ, mox hæc carbone notaſti.

Antigrapheus noſter, Conſcientia noſtra, per omnem hominis vitam diligentiſſimè hunc morem ſervat: quicquid laudabile ac honeſtum, cretà ſignat; quod malum & culpabile, carbone notat. Quid porrò calculorum in vitâ congeſtum ſit, in morte potiſſimùm patebit. Diſtinctè ac clare cernet moribundus, quid carbone, quid cretâ ſignatum ſit. Hîc etiam apparebit, quam præſtantis ſit memoriæ antigrapheus noſter, qui ante ſexaginta, ſeptuaginta & plures annos

a *Perſ. ſat. 5. v 1. & poſt med. ſat.*

Digitized by Google

nos patrata ſcelera habet in memoriâ, & ſuum moribundo proponit judicium. Ita hoc quidem capite de ſtatu Conſcientiæ in morte agemus.

SCRIPTURA.

Hæc eſt ſcriptura, quæ digeſta eſt. Dan. 5. v. 25.

PICTURA.

Liber apertus in menſa, ſuper librum clauſum, juxta cereus ardens, è regione ventus in cereum pugnans.

NVnquam adulari ſolet Conſcientia, omnium tamen minimè in morte. Sub vitæ finem non audaciſſima ſolùm ſed & potentiſſima eſt; tunc certe, ſi unquam, loquendi libertatem obtinet. Cùm homo incipit mori, illa incipit loqui.

Climacus rem etiam oculis teſtatiſſimam commemorans. Stephanus, inquit, in hoc cænobio egit; ſed quia ſeductum vitæ genus & ſolitudinem amavit, alió ſe contulit. Et primò quidem

fol. 152.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quidem tuguriolum ſuum ad radices montis Horebi poſuit: Inde migravit in locum Anachoretarum, cui nomen *Fides*. Locus hic inacceſſus & ab omnibus humanis ſolatiis deſertiſſimus eſt. Aliquot annos in hoc ſeceſſu ſummâ vitæ ſeveritate conſumpſit: ſub vitæ finem ad primam caſam rediit, ubi alii duo religioſi viri è palæſtina habitarunt. Hîc ille ſenio & jejuniis confectus valetudine cœpit corripi extremâ. Vno ante obitum die, ſubitò velut attonitus & fulminatus obſtupuit, oculos inſolitum diduxit pavideque circumſpexit, qui adeſſent, & rationes poſcerent? Denique cunctis audientibus, velut computationem poſtulatus ſuis exactoribus reſpondit. Ita eſt, reverâ; ſed hanc noxam tot annorum jejuniis abolere ſtudui. Paulò poſt addidit: Non certè, iſtud non feci, Dein iterum ſic verè; ſed miniſtravi, ſed flevi, ſed incommoda multa toleravi. Poſt breve temporis ſpatium: Ita ſane, ait, verum objicitis, & ad hæc, quod dicam, non habeo, ſed Dei miſericordia eſt infinita. Erat

profectò ait Climacus, ſpectaculum horribile ac terrificum. a

Ah, mi Deus! homo religioſus annorum quadraginta monachus, ſolitarius, jejuniis exhauſtus, dono lachrimarum præditus, precandi ſtudio aſſiduus, ſed & ceteris virtutibus ornatus, ſanctimoniâ clarus, qui Leopardum è ſua manu aluit, tam ſeverè rationes poſcitur? ſic obiit, ut quis acceptæ rationis exitus, quæ judicis ſententia, quale habitaculum migraturo animo deſtinatum fuerit, penitus incertum!

Si totâ priori vitâ conniveat, dormitet, aut ſilere cogatur conſcientia, ſub Æternitatis aditum, hoc eſt, ſub mortis tempus loquitur, teſtatur, clamat, tonat, fulminat. Quàm verè concinit mortualis Leſſus.

Lecticam premis, ingemiſque preſſus,
Angit ſpiritus undique, angiturque. b

Eſtheris res geſtæ memorant de Aſſuero Rege: Noctem illam duxit rex inſom-

a *Climac. gradu 7. mihi pag.* 121. b Du liegſt im Bett/ vnd ſeufftzeſt ſtett/ das Gewiſſen thut dich brennen.

inſomnem, juſſitque ſibi afferri hiſtorias & annales priorum temporum *a*. Cùm quis adverſâ, maximè cum letali premitur invaletudine, tunc noctes ſæpe pervigilat inſomnes, horas & quadrantes horarum numerat, urgent dolores, exercet ſitis, mæror fatigat. Nox talis hebdomas aut annus videtur. Hîc temporum, totius ſcilicet vitæ hiſtoria profertur, hiſtoria ſanè prolixa & intricata, cúm quis omnia vitæ cogitata, dicta, facta relegit. Biennii aut triennii noxas omnes, aut quid à ſexennio aut ſeptennio quis dolendum egiſſet, exponere, hiſtoria prorſus longa fuerit; quanto longior erit illa & impeditior, quæ ab annis quadraginta, quinquaginta, ſexaginta & pluribus eſt repetenda. Antigrapheus noſter, noſtra conſcientia hîc agit hiſtoricum. Scriptor iſte aſtutiis, blandimentis, & fallaciis circumveniri ſe non ſinit. Liberrimus eſt, & veritatis amantiſſimus. Cuivis in os exprobrare audet: En, talis, & tantus es nequam, quid ſanctum teja-

a *Eſth*. 6. *v*. 1.

te jactas? vitæ tuæ hiſtoriam inſpice, & deformitatem tuam agnoſces. Hîc velit nolit moribundus, legere debebit hiſtoriam, quam ipſe condidit.

Hilarion Tabathenſis, in eremo annis ſeptuaginta Deo ſerviit vitæ ſanctimoniâ & auſteritate maximâ; tot ægros ſanavit, tot obſeſſos liberavit, tot patravit miracula, verè Thaumaturgus. Nihilominus cum jam annum ageret octogeſimum, & in ultimis eſſet, hanc vitæ hiſtoriam legit, & adeò expavit, ut animus tot virtutibus inſignis videretur horrere ac refugere mortem & migrare nolle. Modicus calor, ait Hieronymus, æ tepebat in corpore, nec præter ſenſum quidquam vivi hominis ſupererat, tamen apertis oculis loquebatur: Septuaginta prope annis ſerviiſti Chriſto, & mortem times? In hæc verba exhalavit animam. Mi Deus amantiſſime, quâ fiduciâ moriatur illle, cui Conſcientia objicit: Quadraginta annis ſerviiſti mundo, mortem cogitaſti raro, & jam præmium ſperas in cælo? *a* quam veriſſimum eſt illud

a *Roſvveidus l.1. in vit. PP.*

Digitized by Google

illud Senecæ: Venientem mortem nemo hilaris excipit, niſi qui ad illam ſe diu compoſuerit. Mi Chriſtiane, quid reſpondebis, obſecro, Conſcientiæ tuæ, ſi ea tibi liberè objectarit? Tu Deum nunquam magno æſtimabas, tu Deum ſemper rebus omnibus poſteriorem ponebas: Tu ipſe jam ex neceſſariâ conſecutione ſimplicem concluſionem confice. Reverâ ex propoſitis efficitur, ut & te Deus non magno æſtimet, ut & te rebus omnibus poſteriorem ponat. Quid ad hunc Conſcientiæ ſyllogiſmum habes reſpondere? Hîc forſan dices, ſed nimium ſerò: Quid ergo dicam, quid faciam, quò ergo fugiam? Ita fugias, ajebant priſci, ſed vide ne præter caſam. *a* Ah quoties huc illuc volitamus & oberramus licentiùs, cùm verò conſcientia monere incipit & reprehendere, aures occludimus, & à moleſtâ concionatrice nos avellimus atque proripimus, vitiorum dulcedinem cupidiſſimè ſectantes. Tandem hoſpes eſt domi,

cretâ

a Lauff hin wo du wilt/den Würth wirſtu allezeit daheim finden..

cretâ rationes conficit, exigitque ſymbolas: Tantum & tantum debes. Hinc moribundorum aliqui, accuſante conſcientiâ ſeipſos prius damnant, quam vitam finiant, & decretoriam á Deo ſententiam accipiant.

Notum eſt, quod ſcriptor Anglus Beda, vir eruditus juxta & ſanctus, poſteris memoriæ tradidit. Homo equeſtris Coenredi regis famulus aulicus, in morbo lethali curam conſcientiæ nullam habere ſuſtinuit. Rex ad hominem ſæpius reviſit, piacularem criminum dolorem ſuaſit, de mortis inſidioſo aggreſſu monuit; æger ad hæc ſubridere, verbis non reſiſtere, nec regi quidquam negare, ad omnia obſequioſum ſe offerre, ſed tamen rem differre: Tandem ſub ultimum vitæ tempus apertè dicere: Actum eſt; Perii. conſcientia ſceleribus onuſta in oculis eſt; & hæc me damnat nondum áDeo damnatum. a Sic inter lamenta in locum ſuum abiit, & utique ſuum hoſpitem, vel potius judicem ſuum domi invenit.

In re

a *Bed. l. 5. Hiſt. Eccl. c. 14. pſ. 393.*

In re textoria ſi ſtamen *a* ſit inutile, & trama ſeu ſubtemen *b* nihil valeat, quomodo bonus inde pannus fiat? juventus hominis, inſtar ſtaminis, ætas virilis & conſtans velut ſubtemen eſt; ſi verò nec juventa nec ſenium virtuti ſtudeat, in morte quid ſolatii erit Conſcientiæ? Cum morimur, opus textile quod in vitâ fecimus, oculorum examini ſubjicimus. Malum textum, nulla vel mala merces: Sanus Deum vix unquam quæſiſti? ægrotus, mihi crede, invenies difficillimè. Pulſantem ſæpius non audiiſti, pulſabis & tu, ſed non audieris, æquo & pari calculo. Actiones præteritas ipſa damnabit conſcientia: erit accuſator, teſtis, judex, carnifex. Tunc regredi non licet; conſiſtere non conceſſum; progredi nimis horrendum. Maturè igitur cum Antigrapheo tuo depaciſcere; vide ut verbis factiſque cum tuâ conſcientiâ conſiſtas.

Quod ſi bonę ſit Conſcientiæ moribundus, quantumvis alia omnia diſcrucient & torqueant, ſolatium tamen

a Zettel vnd b Eintrag.

Digitized by Google

tamen conſcientiæ malis omnibus malagma éſt, quod roſaceam aquam, quod vinum & unguentum pretioſiſſimum longe ſuperat, atque ęgrum mirificè refrigerat & beat ante beatitudinem. Hoc Bernardus tam ſanis, quam moribundis ſuaviter inſtillans: Bona conſcientia, inquit, ſecura erit, cum corpus morietur, ſecura cùm anima Deo præſentabitur, ſecura cum utrumque in die judicii ante tribunal terrificum juſti judicis ſtatuetur. *a* Bona conſcientia regium eſt diploma. *b* & commendatio illuſtriſſima, quæ nullas Diabolorum inſidias metuit, quæ angelorum habet comitatum. Bona conſcientia prætoris ſummi ſyngraphum eſt, quod tutiſſimum præſtet iter in orbem alterum, in terram ſanctam Beatorum. De hoc diplomate ſeu ſyngrapho idem Bernardus: Anima, inquit, cùm de corpore egredietur, nullum alium præter conſcientiæ ſuæ librum ſecum portare poterit, atque in illo cognoſcet, quò debeat ire,

a *Bern. l. de inter. domo cap. 22.* b Patent/ Paßport/ Politten.

ire, & quid debeat recipere. *a*

Athenienſis Dux Pericles, quod Plutarchus memorat, cùm fati dies inſtaret, ingens à conſcientiâ ſolatium accepit, eam potiſſimùm ob cauſſam, quòd nullus Athenienſium á ſe adactus pullam veſtem induerit. *b* Hoc ajebat Pericles: Neminem turbavi, neminem offendi aut læſi, in anguſtias neminem adduxi, nec depreſſum ivi. Vtinam ô Chriſtiani, in mortis viciniâ pro ſe quiſque poſſit dicere: Sciens volens mortalium neminem perturbavi aut afflictavi, atratus mei cauſſâ nemo inceſſit; pecuniæ potius jacturam ferre malui quam concordiæ.

Sunt homines ingenii ferocis & turbulenti, qui unum hoc norunt artificium, vexare alios & affligere. Caveant hi; terrificum experientur judicem, ſeverum ſentient judicium. Sub mortem illos certiſſimè anget ſpiritus illorum undique, angeturque. Hoc ſaltem Chriſti monitum ſer-

a *Bern. cap. 28. dicto l.* b *Alibi in Roſis noſtris hoc narramus.*

ſervemus: Nolite judicare, & non judicabimini: nec judiciis noſtris: nec ſententiis ullum feriamus; ſuum cuique ſtet pretium, parvum, magnum, quod cenſor poſuerit cæleſtis. Conſcientia profectò hominis illius, qui nec rigidus cenſor, nec temerarius judex, nec violentus oppreſſor fuerit, ſpem habebit in noviſſimo. *a* & judicem mitiſſimum experietur. Hoc agamus, & omnem impendamus curam conſcientiæ. Qualis quiſque invenietur, talis judicabitur.

CAPUT XI.

Conſcientiæ vultus in funere orbis.

CVm ſingulis annis ſub ſtudiorum inſtaurationem præmiis donantur inſigniora ingenia, fuit inter ceteros ingenioſus juvenis, ſed piger. Huic excitando aureus quidem liber eſt datus, ſed cum hoc aculeo: Librum tibi do, ſed clauſum: Moleſtiâ te levare volui, ſciebam enim te clauſurum. Quemadmodum ve-

rò

a *Prov. cap.* 23.

rò Adoleſcens deſidioſus ſuos libros, ita ſegnis & frigidus Chriſtianus ſuam tractat Conſcientiam: Adoleſcentis libri pæne ſemper clauſi pulveribus & ſitu obducuntur: Chriſtianus tepidus cum conſcientiâ ſuâ rarò loquitur, rariſſimè illam examinat & diſcutit, vix unquam penetrat & totam inſpicit. Sicut officina mercibus vacua, aut mercatore abſente ſolet eſſe clauſa, ita conſcientia omni cultu diſtituta, plerunque virtutibus eſt obſerata. At venient dies, quos velut jam præteritos gemini vates, Daniel & Ioannes, prædixerunt, his omnino verbis: Judicium ſedit, & libri aperti ſunt. *a* Et vidi mortuos magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt. *b* Tunc ſanè omnium hominum conſcientiæ velut libri omnium oculis expoſitiſſimi.

De ſtatu Conſcientiæ in morte, ſuperiore capite dictum. Nunc ordo poſcit, ut Conſcientiæ in ſupremo judicio ſtatum exponamus, tum calamo tum penicillo.

L 2 SCRI-

a *Dan.c.7.v.26.* b *Ioan.c.20.apoc.v.12.*

Digitized by Google

SCRIPTURA.

Libri aperti ſunt. Apoc. c. 20. v. 2.

PICTURA.

Duo grandes & explicati libri ab Iride circundati; inter iſtos geminæ manus ſententiam ferentes.

CHriſtus Matthæi ore nobis vaticinatus: Nihil opertum eſt, inquit, quod non reveletur, neque abſconditum quod non ſciatur. Quo die gens humana in vitam revocabitur, & pro ſe quiſque apud tribunal divinum cauſam dicet, non ſolum actiones omnium, ſed & cogitationes latentiſſimæ patebunt. Qui tandem, inquies, hoc fieri poterit? Chriſtus dixit: Nihil ultra quæramus. De actionibus quidem pronuntiavit illud: *Nihil opertum.* De cogitationibus: Nihil abſconditum. Tunc, *Aperientur libri*, pandentur conſcientiæ. Nunc magnam partem vivimus velut ſomniantes, Tunc frater noſter Joſeph, Chriſtus Dominus orbis

fol. 164



Digitized by Google

quid Job, quid Tobias tolerarint; quid Herodes, Tiberius, Nero, Caligula, Diocletianus, quid tyranni omnes, quid probi omnes; quid omnes omnino homines, cogitarint, dixerint, fecerint, quid Chriſtus humanæ gentis ſervator agendo & patiendo docuerit.

Quapropter, ò mortales peccate nunc in immenſum, & peccata peccatis cumulate, celate, excuſate, propugnate. Interim ſcitote, nihil opertum quod non reveletur, nec abſconditum quod non ſciatur. In libris illis, qui aperientur, legemus hæc omnia. Auguſtinus in memoriam revocans noviſſimum diem, qui diebus omnibus lucem affundet & ſolem: Ecce, inquit, coram tot millibus populorum nudabuntur omnes cogitationes meæ: & tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcelera mea, non ſolùm actionum, ſed etiam cogitationum, ſimulque locutionum. *a* Vbi Achitophel inaudiit machinationes ſuas in regem David detectas, è caſtris ſe proripu-

is

a *Aug. l. medit. c.* 4.

it & gulam fune fregit. *a* Ita & Iſcariotes proditor, cùm magiſtrum cruci addictum, perfidiæ ſuæ facinus jam apertum eſſe intellexit, argentum retulit, & infelici arbori ſeipſe ſuſpendit. *b* Incredibiliter cor humanum concutit, crimen patratum ſciri, rem emanaſſe ac pervulgari. Atqui tunc nihil omnino, nihil erit abſconditum, quod non ſciatur. Ipſa etiam beatorum hominum peccata, quæ à primo rationis uſu commiſerunt, omnibus aperta erunt. *c* Neque ſinguli ſuas tantùm cogitationes, dicta & actiones, ſed & omnium aliorum ſunt viſuri. Nam ſicut unus omnium, ita omnes unius cogitata, verba, facta omnia habebunt perſpectiſſima.

Ideo Bernardus preces allegans Deo: Eripe me Domine, inquit, ab homine malo, hoc eſt, à quo recedere non poſſum. Nam quocunque me verto, vitia mea me ſequuntur; ubicunque vado, conſcientia mea non me

a 2. *Reg.* 17. *v.* 13. b *Matth.* 27. 5.
c *Vide Franciſc. Suarez tome* 2. *in* 3. *partem D. Thomæ, diſput.* 57. *ſect.* 9.

Digitized by Google

me deſerit, ſed præſens aſſiſtit, & quicquid facio, ſcribit. Idcirco quamquam humana ſubterfugiam judicia, judicium propriæ Conſcientiæ fugere non valeo &c. In die illâ cùm Dominus ad judicium venerit, cogente conſcientiâ unuſquiſque erit accuſator, & judex ſuus. Propterea ſtatuam me ante me, & judicabo meipſum, ut illius extremæ & tremendæ diei judicium evadere poſſim. Damnat me Conſcientia mea, quamquam divinum judicium nondum me damnet. Et paulo poſt perſequitur ſuam accuſationem efficacibus verbis.

Hæc vero intra me abſcondebam, & in meos cruciatus enutriebam. Proditor ſecretorum, tenax malarum ſuſpicionum, utrobique perverſus, multis velut amicus fui in obſequio, hoſtis in animo; Comptus in verbo, turpis in facto. Piiſſime Domine, unde poſſum eſſe bonus, qui in bono ſic fui malus. *a*

Ante an[illegible]s non adeò multos, in Hiſpanii[illegible] [illegible]miſſa eſt cędes clandeſtina.

a *Bern. l. de inter domo c. 31. init.*

Digitized by Google

ſtina. Cædis ſuſpicio vehemens fuit de pluribus, qui omnes expedire ſe crimine moliebantur. Ceteris audacior unus, vultus ſeveros induens ſummam in ea re innocentiam ſimulavit. Judex loco conſurgens omnium pectora nudari juſſit, & ipſe ſingulorum curioſa manu palpans exploravit; in illo autem, qui volebat à culpa videri remotior, cor ſingulariter ſalire ſenſit. Et mox atrocibus verbis: Tu feciſti, ait. Ille convictus conſcientia & exterritus, vel vultu prodente ſe reum confeſſus eſt. Nec dilatum diu ſupplicium. Tulit quod fecit. Sic orbis judex cunctorum corda nudabit; nec opus erit admovere manus ad arteriarum pulſus & palpitationem cordis explorandam; Nuda & aperta erunt omnia. *a* Bernardus dixit: Cogente conſcientia unuſquiſque erit accuſator & judex ſuus. Quod Ezechiel prædicens: Diſplicebitis vobis, inquit, in conſpectu veſtro, in omnibus malitiis veſtris, quas feciſtis. *b*

 Ah,

a *Hebr*. 4. 13. b *Ez*. 20. 43. *Hierem. cap*. 17. *verſ*. 1.

Ah, quâ trepidatione ſtabunt damnati? Deſperatiſſima eorum conſcientia ut canis rabidus mordebit. Nam illi in ſe ipſos ita exardeſcent, ut ſi fieri poſſet, ſeipſos etiam dentibus diſcerperent. Nimium ſera eſt, ò miſeri, atrociſſima hæc pœnitentia. Vos olim vel mediocris dolor in gratiam repoſuiſſet. Gemitus, ſuſpiria, lacrimæ locum habuerunt in orbe altero. Nunc res & ſpes decollavit omnis. Actum eſt. Ite, perite, flete & ardete æternum. Hieremias vates minatur improbis, & a peccatum Iuda ſcriptum eſt, inquit, ſtylo ferreo, in ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum. b Quod Theodoretus explicans: Nihil, ait, potentius conſcientiâ, in quâ ſcilicet infixę litteræ ſunt ſolidæ. Robuſta ſanè ſcriptio, & ævum ferens, cum ferrum charta, cum adamas eſt penna. In eandem ſententiam Origenes: Nudabitur, inquit, pectoris mei conſcientia, & aperto corde videbuntur litteræ peccatorum, quæ ſtylo ferreo ungue adamantino ſcriptæ ſunt. Hoc innuit

a *Hierem*. c. 17. v. 1.

Digitized by Google

innuit Eccleſia quando in inferiis canit.

Iudex ergo cum ſedebit,
Quicquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.

Liber ſcriptus proferetur
In quo totum continetur,
Vnde mundus judicetur.

HIc liber Dei memoria eſt, capacitatis infinitæ. At Daniel, inquis, & Ioannes non de libro, ſed de libris loquuntur. Reſponderi poteſt, id quod breviter & ſuccinctè notatur, etſi decem, etſi centum ſcribæ illud excipiant, unus tamen eſt liber: nam quod iſte habet, habet etiam iſte, & hic & alius, & decimus, & centeſimus: ita prorſus quod in univerſorum hominum conſcientiis ſcribitur, id omne Dei memoriâ continetur.

Nihil abſconditum quod non ſciatur, nihil opertum quod non revelatur: Omnes hyprocriſes, proditiones, libidines, turpitudines quæ corde ſolo deliteſcebant, nunquam per os egreſſæ, tunc in lucem protrahentur omnium oculis in hoc libro inſpici-

endæ. Tunc omnibus falſis fratribus inſidioſis amicis, fictis Chriſtianis, infidelibus ſervis, perſonatis nebulonibus detrahetur larva: intus & in cute notiſſimi ſtabunt. Si quis coram ſex ſeptemve millibus hominum peccata vitæ anteactæ omnia, quæ vel à pueritia meminit, aperire cogeretur, quantum erubeſceret miſer? mori mallet quam hac ignominiâ inuri. Enim verò novem aut decem millia Hominum quantilla pars ſunt humanæ gentis? totius mundi? Ah, bone Deus, quomodo quis audebit flagitium committere, ſi credat illud exactiſſimè ſciendum, & penitiſſimè inſpiciendum ab omni humana gente, ab orbe toto! Et tamen res nefarias quotidie committimus; ergo revera non credimus ſciendas; non cogitamus detegendas. O præſidentes nimium & increduli! nihil opertum, quod non reveletur. Bernardus jam crebriùs laudatus: In die judicii, ait qualem unuſquiſque habuerit conſcientiam, talem judicem habebit. Anguſtiæ undique & undique. Hinc peccata accuſantia, inde terrens

terrens juſtitia, ſubtus chaos inferni, ſupra iratus judex, intus vrens Conſcientia, foris ardens Mundus. Latere impoſſibile, apparere intolerabile. Si juſtus vix ſalvabitur, peccator ſic deprehenſus quò ſe vertet? *a* Cogitate hæc ô mortales, cogitate ac perpendite.

Chriſtus Dominus nunc in terrâ ſcribit & ſilet, uti olim Hieroſolymis, adulterâ in jus vocatâ, digito velut calamo ſcripſit & ſiluit. Ita nunc Deus in cujuſvis conſcientiâ ſcribit & tacet. Æquiſſimè olim dicturus: *Hæc feciſti, & tacui.* *b* Die judicii eriget ſe, atque oſtendet, quid in cujuſvis conſcientiâ ſcriptum. Hic nongenties ebrius fuit. Hic mille adulteria commiſit reipſa, centena millia cogitatione ſolá. Hic quindecies millies injuſtitiam exercuit. Hic vigeſies millies invidiam fovit. Hic trigeſies millies iratus fuit. Hic ſexageſies millies impura & obſcœna ſciens volens cogitavit. Hæc, & hæc & hæc, & hæc feciſti, & tacui. Nunc tacere

a *Bern. de modo bene vivendi, ſerm. 71. & de inter. domo c. 30. v. 1.* b *Pſ. 49. v. 21.*

tacere tuum eſt & audire, meum loqui & punire.

Nunc, ô Chriſtiani, ſcripturam hanc corrigere licet; nunc eradere, delere, reſtituere, omittere, ſubſtituere, emendare conceſſum; Nunc ſcribere poſſumus quod volumus: Cùm erimus jam præſentes judici; nec litterula, nec apex litterulæ negligetur.

Noſtri nunc arbitrii eſt ſcribere quod placuerit, ſcriptorum Deus neminem cogit. Volumen autem, quod nunc operâ ſcribimus occultiſſimâ & plane furtiva, in judicio excudetur, Orbis leget univerſus. Occultiſſimas fraudes, ſecretiſſimas libidines, pellicatus arcaniſſimos, abditiſſimam invidiam, omnes & ſinguli ſcient. Quicquid latet apparebit. Chriſti vita, lex noſtra eſt & liber noſter: Ad hunc igitur librum nos noſtros corrigamus libros. Pro ſe quiſque dicat: Hæc menda, hos errores & nævos in illo diviniſſimo libro non reperio, nec igitur in meo ſint; deleantur, expungantur.

De hoc clariſſimè Bernardus: Ex his,

his, inquit, quæ ſcripta erunt in libris, judicabimur, & ideò ſcribi debent ſecundùm exemplar libri vitæ, ut ſi aliter habent, corrigantur, ne in illâ ultima collatione (velut minus correcti) abjiciantur. *a* Hoc prævidens Iobus: librum ſcribat ipſe, qui judicat. *b* Scio quam pronum ſit errare, & quam facilè in libros irrepant turpes noxiæ, ideò calamum judici meo in manus trado, perfectiſſime illi gubernandum me ſubjicio, ita ſcribat ipſe qui judicat.

Gregorius Magnus ſapiens & ſanctus, & ſolio tam ſublimi dignus, nihilominus ſuam ipſe Conſcientiam veritus: ſic vixi, ait, ut accuſatorem exterius non timerem: utinam ſic vixiſſem ut intra meipſum accuſatorem conſcientiam non haberem, *c* O Cælites, vir tam notæ ſanctimoniæ, & qui vitam inter ſtudia & morbos partitus, patriæ & pauperum pater, ab eleemoſynis ſemper laudatiſſimus extitit, nihilominus hunc accuſatorem domeſticum formidat!

Intelli-

a *Bern. l. de Conſcientiâ* 1099. b *Iob c. 31. v. 35.* c *Greg. l. 2. moral.*

Digitized by Google

Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. *a* Judex nunc placidiſſimus, brevi opprobrabit in os: Exiſtimaſti inique quòd ero tui ſimilis: Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam: Fatuè putabas me ſemper fore taciturnum, omnia à me diſſimulanda. Hactenus te variè arguebam, nunc ſtatuam te contra faciem tuam, & diſceptabo cauſſam tuam. Quod olim Propheta meus te monuit, nunc exequar: Nunc finis ſuper te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor, ſed vias tuas ponam ſuper te. *b*

Eſto igitur, conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adverſarius judici & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde donec reddas noviſſimum quadrantem. Verùm, (quod probe intelligas) in iſto carcere nunquam

a *Pſ. 49. v. 12. & 21.* b *Ezech. c. 7. v. 9.*

quam ſolvitur quadrans noviſſimus, nunquam ergo exitur. Atque hoc ſibi volunt dominicæ minæ, hic geminus verborum ſenſus eſt. Ergo dum in viâ ſumus, adverſario & antigrapheo noſtro, noſtræ conſcientiæ conſentiamus, & rectè monenti pareamus. Penes nos eſt die noviſſimo Conſcientiam habere accuſatorem & teſtem adverſus nos, vel fautorem & maximum pro nobis Patronum.

CAPUT XII.

Conſcientiam non audire, principium interitus.

NAturæ panegyriſtes Plinius ex fide recenſet quibus locis Ægyptium flumen Nilus ex alto ſeſe præcipitet, & accolis auditum eripiat; aitque ea loca Nili catadupa nominari. Simile quid in molendinis noſtris fieri amat, ubi molitores eorumque famuli plerumque hebeti & obtuſo ſunt auditu ob continuos ſtrepitus, pulſus & fragores.

Conſcientia majorem partem cla-

râ & ſonorâ voce loquitur, nec difficile eſt eam loquentem liquidè audire. Sed quia non pauci habitant ad catadupa Nili, vel in piſtrinis a occupantur, ubi inquies æterna imperat, fieri ſanè non poteſt, ut Conſcientiam docentem audiant. Aſſiduus tumultus ac ſtrepitus gravitatem auditus creat. Hinc paulatim Surdaſtri fiunt, demum penitus exſurdantur, ſed damno ſuo maximo iterum auditum recepturi.

Repente ad mortis adventum ita clamabit Conſcientia, ut eam ſurdi illi, velint nolint, audire cogantur. Diximus, qualem ſe Conſcientia in morte, qualem in judicio ſit exhibitura. Sequitur ut oſtendamus quantum ſit mali ad Conſcientiæ monita obſurdeſcere & quam æquè dicturus olim Chriſtus: ſurdus ſum ſurdis.

a Stampſmülen.

Scriptura

Audient in die illa ſurdi verba libri Iſa. c. 29. v. 17.

Pictu-

fol. 179.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PICTURA.

Chriſtus capitis ſui, ſpinis coronati, aures manibus obturans.

QUicquid contra conſcientiam fit, malè fit. Omne enim, quod ſupra diximus, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Effatum Auguſtini veriſſimum: Quod fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam. a Theologi duas in homine partes aſſignant. Unam cui nomen dedere *Concupiſcibilis*, alteram cui *Iraſcibilis*. Concupiſcibilis pars in illud fertur quod bonum delectabile, voluptarium videtur: Iraſcibilis odit & arcet quicquid adverſatur voluptario. A Cane id diſcimus: Si os carne veſtitum projiciatur cani, mox ſeſe prodit pars concupiſcibilis, os namque dentibus avidiſſime invadit, hoc illi volupe eſt; oſſa cani gratiora quam manus gemmarum plena. Et adeò appetitus concupiſcibilis hîc vivit, ut conjunctiſſimum habeat iraſcibilem; ita quidem, ut cani os rodenti, neque

a *Aug. l. de 10. Chordis.*

canis alius, neque homo, etiam familiariſſimus illud auſit ereptum ire, niſi dentibus expoſitum ſe velit; nam appetitus iraſcibilis amotum vult hoſtem, ideò ad pugnam confert omnia. Eadem eſt ratio in homine, qui cum brutis animantibus magnam habet cognationem.

Verum duplicem hunc appetitum Moletrinæ ac Catadupis Nili confero, hæc nos ita exſurdant, ut loquentem conſcientiam non audiamus. Nam appetitus Concupiſcibilis verè ut Molendinum eſt, ubi pulſus, fragor, ſtrepitus perpetuus. Exemplo rem monſtramus. Eſt qui cupiat diteſcere. Ohe malam cupiditatem, & radicem malorum omnium! Paulinum illud novimus: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.[a] Siquidem ex hac una nummorum cupiditate centum iterumque centum innumeræque aliæ cupiditates naſcuntur. Pari modo qui ambitioſe

[a] 1 *Tim. c. 6. v. 9.*

tioſe auram honoris captat, cupiditate ſanè malâ laborat, unde cupiditates aliæ oriantur infinitæ. Ita prorſus qui carnis voluptates ſectatur, appetitiones adverſus rationem innumerabiles nutrit & libidinibus inflammatus ac furens fertur in plurimum nefas; nam una ex aliâ libido & infamis appetentia progignitur. Hi illi pulſus, hi fragores & ſtrepitus illi ſunt quorum aſſiduitas auditum dies noctesque ſic obtundit, ut conſcientiæ monita non percipiantur.

Et plerumque ubi Concupiſcibilis eſt appetitus, illic & iraſcibilis locum invenit. Nam homini prava appetenti varia occurrunt obſtacula, ſunt adverſarii, qui vel honores vel nummos vel voluptates eant imminutum. Hinc fremit ac perſtrepit pars Iraſcibilis. Hinc turbulentæ voces illæ: Hoc mihi prohiberi non patior, hoc mihi non ſino eripi, hoc de me dici, ſic mecum agi non fero. Ita moleſtias omnes & quicquid dolori eſt, amolimur appetitione Iraſcibili, quæ arduum oppugnat.

Hæc illa vitiorum & affectuum

 mole-

moletrina inquietiſſima, quæ ad voces Conſcientiæ facit obſurdeſcere. Quod Jacobus Apoſtolus clariſſimè affirmans: Unde bella, inquit, & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris? Concupiſcitis & non habetis. Hinc appetentia Concupiſcibilis & Iraſcibilis exſurgit, quia non habemus quod cupimus, aut habemus contrarium quam cupimus. Unuſquiſque veſtrûm tentatur ait Jacobus, à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus. *a* Atque hoc exſurdat hominem.

Joſephi proregis Ægyptii fratres, cùm in vinculis eſſent, non tantùm diuturnæ ſurditatis inſimulati ſunt à Conſcientia, ut ſuprà demonſtratum eſt, ſed etiam poſt parentis obitum inſtigante Conſcientia male ſibimet vaticinari cœpêre: Jam periimus; Frater hactenus ſenem reveritus, pepercit jugulis noſtris. Nunc parente mortuo, quem vereatur? veterem injuriam utique vindicabit. Ideò legationem adornarunt, miſeruntque qui dicerent. Pater tuus præce-

a *Iacobi c.* 4. *v.* 1.

præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus, ut ſervis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. *a* Nec ſatis afflictæ illorum conſcientiæ: nam poſtquam aditum ſibi ad gratiam præmunierunt, demum & ipſi venerunt, proni adorantes in terram, ſe fratris ſervos profeſſi ſunt. Ita mei, jam tandem adeſtis veniam petituri? Annis viginti & pluribus ad omnes Conſcientiæ reprehenſiones ſurdi, Nunc demum recepiſtis auditûs uſum? Meriti quidem fuiſſetis dignum flagitio ſupplicium: At ea eſt fratris veſtri humanitas, ut non aures tantum, ſed ipſa præcordia vobis patere voluerit, qui ejus innocentiæ olim & veſtræ conſcientiæ huc uſque tam pertinaciter obſurduiſtis.

Hebræus Rex Joachim poſtquam Hieremiæ vaticinia combuſſit, Deus non tantum eadem illa priora iterum dictavit, & inſuper, *additi ſunt*

a *Gen. c. 50. v. 16.*

ſermones multò plures: quam anteà fuerunt; ſed & regi dici juſſit; Hæc dicit Dominus Deus contra Joachim regem Juda: non erit ex eo, qui ſedeat ſuper ſolium David, & cadaver ejus projicietur ad æſtum per diem & ad gelu per noctem, & viſitabo contra eum & contra ſemen ejus, & contra ſervos ejus iniquitates ſuas, & adducam ſuper eos, & ſuper habitatores Hieruſalem, & ſuper viros Juda omne malum. *a* Cur Deus tantopere iratus? quod illud tam grave flagitium tot ſuppliciis puniendum? Rex combuſſit, quod Deus dictavit. Ita non minus indignatur Deus, & pœnas irrogat, ſi ea, quæ dictat conſcientia, rejiciantur, & velut comburantur. Surdum ſe ſurdis exhibet, & diu non auditus auditum denique ipſe oppilat. Exemplum admodum recens Academiâ Complutenſis ſubminiſtrat, quod ab Æmyliano Garcia narratum, fideli ſcripto ad me tranſmiſſum eſt. Et en conſcientiæ non auditæ nobiliſſimum paradigma!

Juve-

a Hierem. c. 36. v. 30.

Digitized by Google

Juvenis fortunis & claro ſanguine inſignis, vivendi genere non laudatiſſimus, ad vitam ſanctiorem ſæpius ac vehementius impellebatur à conſcientia, quæ illi identidem occinebat hanc cantilenam: Redi ad te, & noſce te. Via quam inſiſtis, ad inferos ducit. Valedic cælo, ſi gradum revocare nolis. Quod agis, mature age. Dies hodierna, ſed forſan non tota, in manu tua eſt; utere, Securum cras incertiſſimum. Deus veniam reſipiſcentiæ tuæ promiſit, dilationi tuæ diem craſtinam non promiſit. Quid cunctaris & differs? ſi è vivis te ſubitò mors exturbet, quò migraturus es? Circumſpice; brevi ad oſtium Æternitatis ſtabis. Qualis vixeris, talis & judicaberis. Mores igitur emenda, & viam, quam monſtro meliorem, ingredere. Non placet hæc via? nimis arcta & horrida videtur? Ergo viæ finem conſidera, paradiſum anhelà. Huc ſola ducit virtus. Nec ſolus hunc callem tenebis. Multi præeunt, ſequuntur multi. Unicum VELLE tuum obſtat quò minus ſeriò bonus ſis. Viciſti, ſi

Digitized by Google

audeas velle. Me rectiſſima monentem non audis? Maximum tibi ipſe malum accerſis: periiſti, ſi ſurditatem hanc perſeveras. At bonus ille juvenis hæc quidem audiebat, ſed audire diſſimulabat. Eadem iterum iterumque monitus ſubinde conſcientiæ reſpondebat. Nondum omnium dierum ſoles occubuerunt. Sanctior vita, grave negotium. Quid properemus? ſtudiis meis ad finem deductis, tum demum diſpiciam quod vitæ genus placeat. Studia ad finem deduxit, ſed emendationem vitæ inter poſtremas curas habuit, ſacerdotium opulentum ambiit & obtinuit; in curiam ſacram aditum ſibi patefecit. Verbo dicam: in cogitationibus ſuis evanuit. Catadupa Nili, & molendinum illud Concupiſcibilis & iraſcibilis appetentiæ ita hominem exſurdarunt, ut conſcientiæ hortatus, velut inanis auræ ſibilos tranſmiſerit. Quod pejus, genio paullatim indulgere, ſed cautè: carnis laſciviam non reprimere, ſed tectè: libidinibus ſe ſe dedere cæpit, ſed furtim: Modò nihil honeſtati publicæ adverſum fieret;

ret; modò boni nominis ratio conſtaret; modò nihil emanaret in vulgus; Deum & cælum perdere, jactura non tanta videbatur. Et quod longè peſſimum, cùm remedium vertitur in ſcelerum patrocinium: Unica confeſſio, ajebat, nequitias ſexcentas delet. Potentiſſimum hoc cacodæmonis vaframentum eſt: Exomolegeſis unica, inquiunt, noxas innumeras levi compendio abſtergit: pergamus. Hoc animos addit ad proterviſſimè peccandum. Ita juvenis ille animatus ibat & ſuaviter peribat. Æmylianus, Sacerdos, quem dixi, ſanctitatis non ignotus, juvenem ad faciendam exomologeſin invitavit. Juvenis humanus & comis nequaquam aſperè reſpondit, nec ſeſe refractarium exhibuit, blanda verba miſcuit, quæ humanis tergiverſatiunculis diſtinxit. Facturum ſe dixit, non fecit. Intereà febriculâ corripitur homo; quem licet Medicus in ſpem aliquantulam, ut fieri ſolet, erigebat; id tamen ſui moris & officii eſſe ajebat, ſuadere, ut æger prius cum Deo in gratiam rediret, quam pharmacum ſumeret, ita

ita fore ut tanto efficacius conduceret laboranti. Nec injuria prius animum quam corpus curari. Ita Medicus valedicit & abit. In abitu Patrem Æmylianum habet obvium, cui candidè aperit morbum illius domini levem videri, ſed revera eſſe letalem. Proinde videret, qui à confeſſionibus eſt, quomodo ægrotum diſponeret ad æternitatem. Ergo Pater Æmylianus omnem movet lapidem ut ægrum ad veram de noxis pœnitentiam perducat; Rogat per omnes Chriſti cruciatus, ut animæ vulnera patefaciat, & vitæ noxas confeſſione deleat. At ægrotus ſuaviter reluctari, & aliò ſermonem divertere, ac verò etiam ſperare poſt triduum è lecto ſe abiturum: quid enim opus in morbo fruſtra cruciari? Quapropter alter aries in ægrotum intorquendus. Scias igitur, ait Pater, morbum hunc letalem eſſe nec differendam in craſtinum pœnitentiam. Ridet æger, nec credit aliter quam vanum, ut putarat, vaticinium. Utique Conſcientia illi non obſcure dixit: Quid tu de morbo tuo judicare noſti?

ſti? Quod ſi eſſet letifer, quid faceres? Hic audacem eſſe, periculoſiſſima eſt inſania. non igitur ſalutem animi æternam tam formidoloſæ committas aleæ. Non audiit æger. Ita tertius incutiendus fuit aries. Pater Æmylianus cum domeſticis omnibus ſumme, ac per Chriſti amorem enixiſſime rogavit, in ea morbi mortiſque viciniâ mature ſibi ipſe conſuleret, à momento vitæ ultimo totam pendere æternitatem. Surdo fabula. Quæ dicebantur, humaniter accipiebantur. Sed ne tantulum quidem promotum. Quartus ergo & ultimus aries fuit vibrandus. Pater Æmylianus imaginem Chriſti crucifixi arripit & opponit ægro, atque unà circumſtantes compellans: Quæſo vos, inquit, ſequimini, præibo vocem: De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam: Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. *a* Hic imago Chriſti velut ſentiens viſa eſt geminas manus clavis ſubducere, auribus admovere, eaſque immiſſis digitis

a *Pſal.* 129.

gitis obturare, perinde ſi Chriſtus clare diceret: Quia vocavi & renuiſti, ego quoque in interitu tuo ridebo. Ad taciturnum hoc prodigium attonitus æger ſudare, tremere, oculos huc illuc circumferre, altùm ingemiſcere, ita demum cunctis inſpectantibus expirare. Hìc illud veriſſimum eſſe viſum eſt: Surdus ſum ſurdis; non auditus, non audio, repulſam toties paſſus, repello.

Çum ſcriptore priſco hîc meritò exclamem: O peccata quam faciles aditus habetis dum ſuadetis,& quam difficiles exitus? Dum ſuadetis inungitis, ſed poſtquam ſuaſeritis, uſque ad mortem animæ pungitis. Intelligite quam amarum & malum ſit, relinquere Dominum, vos qui peccatis. Tandem adeſt Chriſtus, olim frater & patronus, jam adverſarius & judex proclamat. Surdus ſum ſurdis, deſpectus toties deſpicio. Vos auditum in molis veſtris, hoc eſt, in libidinibus veſtris perdidiſtis; Vos Catadupa Nili, tot affectus vitioſi & mali exſurdarunt: Vos conſcientiam à me datam non audiſtis. Jam nec

ego

ego vos audiam. Ite, abite, perite. Surdus ſum ſurdis.

CAPUT XIII.

Quotidianum Conſcientiæ examen.

CHriſtus jam redivivus ad diſcipulos ſuos, non manè, non meridie reviſit, ſed ſero veſpere, cùm dies jam vergeret ad finem, imò jam nox præcipitaret cælo. Cur iſtud, obſecro! Toti dies Chriſto Domino vacui erant, ita quavis horâ ad eos penetrare poterat. Cenſet Chryſoſtomus id eam etiam ob cauſſam, ut diſcipulis ſub veſperam congregatis integer adeſſet numerus, eorum nemine abſente. Quod interdiu vix poterat fieri. Nam homines erant egeni, quibus per diem victus & alimentorum aliquid quærendum. Ita ſub noctis ptincipium convenerunt; noctu ſunt congregati.

Hoc nocti proprium eſt, negotioſos homines, huc illuc ſparſos, domum compellere. Viator qui totos ſoles accelerat greſſum, hoc unicè contendit, ut veſperi ſub tecto eſſe

liceat.

Digitized by Google

liceat. Domum quærit, hoſpitium indagat, quietis locum deſiderat, ubi pernoctet. Qui totos dies negotiis merſus diſcurſat, hoſpitalem & amicam noctem optat, quâ reſpiret. Non rarò convivæ ad umbilicum noctis tam ſtrenue perpotant, ut quandoque etiam monendi ſint, ſat poculis datum, domuitionem parent, ſomno vacent. Et hoc diſcriminis eſt inter homines & feras. Nox hominem ad cubile revocat, illas cubilibus educit. Quod hebræus Pſaltes adſtruens: Poſuiſti tenebras, ait, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam. *a*

Veſper compellit domum. Ite domum ſaturæ, venit Hoſperus. Veſper in cubile revocat. In illud ſcilicet quò regius vates digitum intendit. Et in cubilibus veſtris compungimini. *b* Nec ego aliud monebo quam domum veſperi eundum, cubile

a *Pſ.* 103. v. 20. b *Pſ.* 4. v. 5.

fol. 293.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

bile ingrediendum. Ita omnes & ſingulos moneo: Ingredere cubile tuum, deſcende in te ipſum, Conſcientiam excute. Jam ſuprà dictum, quid ſit Bona Conſcientia. Hic quæſtio ſit: Quid faciat bonam Conſcientiam. Cui rectiſſime reſponderim: Creberrime, imo quotidie illam examinare. De examine Conſcientiæ copioſius diſſerui in Triſmegiſto, ubi de cultu Conſcientiæ actum. Nunc iſto ac ſequenti capite decem rationes ac cauſſas breviter exponam, cur Conſcientia quotidie cum cura & ſolerter ſit examinanda.

SCRIPTURA

Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1 Cor. 11. v. 31.

PICTURA.

Fons cum erectâ columna, in qua Cor ſublime, è quo V. fonticuli ſalientes.

C*Auſa* I. cur Conſcientia quotidie ſub nocte examinanda, eſt exemplum

emplum eorum, qui gentilitatis tenebris oppreſſi, Conſcientiam examine quotidiano non ſolùm explorandam docuerunt, ſed & explorarunt. Pythagoras unumquemque diſcipulorum ſuorum frequentius monuit, ut cùm ædes ſubiret, ſibi ipſe diceret: Quò prætergreſſus? quid geſtum in tempore, quid non? a Apollonius Thyanæus ſecum ipſe in eum modum loqui ſolitus: Novi, ajebat, videtur mihi; quò ferimini? ſciendum eſt. Et plura talia, quæ Conſcientiæ faciunt ſcrutandæ. Illuſtriſſimè omnium Seneca, qui modum excutiendæ conſcientiæ à ſe traditum ſecutus ipſe: Animus, inquit, quotidie ad rationem redder[illegible]n vocandus eſt. b Quis, obſecro, [illegible] Chriſtianæ religionis arcanum philoſophis iſtis aperuit? Fortaſſis, inquies, aliter docuerunt in ſcholis, aliter vixerunt domi, quod de ſe Lacides philoſophus eſt faſſus. Non ita ſanè iſti: Sed dicta facta per diem diligentiſſimè recognoſcebant. Sextus in quotidianâ conſcientiæ per-

a *Suid. mihi pag.* 845. *& pag.* 21. b *Sen. l.* 3. *de Irâ c.* 36.

perſcrutatione: Quod hodie, ajebat, malum tuum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti, qua parte melior es? Seneca apud ſuum ipſius tribunal: Quotidie, inquit, apud me cauſſam dico: cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt; & conticuit uxor, moris mei jam conſcia, totum diem mecum ſcrutor, fa[illegible] ac dicta mea remetior. Et quod [illegible]ius eſt, Annæus instar Sodalis [illegible]enii aut hominis religioſi, non [illegible]apitalia crimina, ſed minora etiam piacula noxaſque minimas perſecutus: Hodie, dicebat ipſe ſibi, diſputando nimiam in adverſarium acrimoniam ſtrinxiſti: Alium graviore verbo appellaſti. In convivio quòd non principe loco collocareris, excanduiſti: limis illum & iniquis oculis aſpexiſti. Ita Seneca quotidiano examine Conſcientiam ſuam exploravit. Idem alii fecerunt. Ah, Chriſtiani, nondum erubeſcimus, nondum colorem ducimus ad hæc exempla? Idololatræ conſcientiam examinarint quotidie, Chriſtiani vix ſemel in menſe? & negligant iſti, quod illi accuratiſſimè fecerunt?

ita ſore ut tanto efficacius conduceret laboranti. Nec injuria prius animum quam corpus curari. Ita Medicus valedicit & abit. In abitu Patrem Æmylianum habet obvium, cui candidè aperit morbum illius domini levem videri, ſed revera eſſe letalem. Proinde videret, qui à confeſſionibus eſt, quomodo ægrotum diſponeret ad æternitatem. Ergo Pater Æmylianus omnem movet lapidem ut ægrum ad veram de noxis pœnitentiam perducat; Rogat per omnes Chriſti cruciatus, ut animæ vulnera patefaciat, & vitæ noxas confeſſione deleat. At ægrotus ſuaviter reluctari, & aliò ſermonem divertere, ac verò etiam ſperare poſt triduum è lecto ſe abiturum: quid enim opus in morbo fruſtra cruciari? Quapropter alter aries in ægrotum intorquendus. Scias igitur, ait Pater, morbum hunc letalem eſſe nec differendam in craſtinum pœnitentiam. Ridet æger, nec credit aliter quam vanum, ut putarat, vaticinium. Utique Conſcientia illi non obſcure dixit: Quid tu de morbo tuo judicare noſti?

ſti? Quod ſi eſſet letifer, quid faceres? Hic audacem eſſe, periculoſiſſima eſt inſania. non igitur ſalutem animi æternam tam formidoloſæ committas aleæ. Non audiit æger. Ita tertius incutiendus fuit aries. Pater Æmylianus cum domeſticis omnibus ſumme, ac per Chriſti amorem enixiſſime rogavit, in ea morbi mortiſque vicinià mature ſibi ipſe conſuleret, à momento vitæ ultimo totam pendere æternitatem. Surdo fabula. Quæ dicebantur, humaniter accipiebantur. Sed ne tantulum quidem promotum. Quartus ergo & ultimus aries fuit vibrandus. Pater Æmylianus imaginem Chriſti crucifixi arripit & opponit ægro, atque unà circumſtantes compellans: Quæſo vos, inquit, ſequimini, præibo vocem: De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam: Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. *a* Hic imago Chriſti velut ſentiens viſa eſt geminas manus clavis ſubducere, auribus admovere, eaſque immiſſis digitis

gitis

a *Pſal.* 129.

gitis obturare, perinde ſi Chriſtus clare diceret: Quia vocavi & renuiſti, ego quoque in interitu tuo ridebo. Ad taciturnum hoc prodigium attonitus æger ſudare, tremere, oculos huc illuc circumferre, altùm ingemiſcere, ita demum cunctis inſpectantibus expirare. Hic illud veriſſimum eſſe viſum eſt: Surdus ſum ſurdis; non auditus, non audio, repulſam toties paſſus, repello.

Cum ſcriptore priſco hîc meritò exclamem: O peccata quam faciles aditus habetis dum ſuadetis, & quam difficiles exitus? Dum ſuadetis inungitis, ſed poſtquam ſuaſeritis, uſque ad mortem animæ pungitis. Intelligite quam amarum & malum ſit, relinquere Dominum, vos qui peccatis. Tandem adeſt Chriſtus, olim frater & patronus, jam adverſarius & judex proclamat. Surdus ſum ſurdis, deſpectus toties deſpicio. Vos auditum in molis veſtris, hoc eſt, in libidinibus veſtris perdidiſtis; Vos Catadupa Nili, tot affectus vitioſi & mali exſurdarunt: Vos conſcientiam à me datam non audiſtis. Jam nec ego

ego vos audiam. Ite, abite, perite. Surdus ſum ſurdis.

CAPUT XIII.

Quotidianum Conſcientiæ examen.

CHriſtus jam redivivus ad diſcipulos ſuos, non manè, non meridie reviſit, ſed ſero veſpere, cùm dies jam vergeret ad finem, imò jam nox præcipitaret cælo. Cur iſiud, obſecro! Toti dies Chriſto Domino vacui erant, ita quavis horâ ad eos penetrare poterat. Cenſet Chryſoſtomus id eam etiam ob cauſſam, ut diſcipulis ſub veſperam congregatis integer adeſſet numerus, eorum nemine abſente. Quod interdiu vix poterat ſieri. Nam homines erant egeni, quibus per diem victus & alimentorum aliquid quærendum. Ita ſub noctis ptincipium convenerunt; noctu ſunt congregati.

Hoc nocti proprium eſt, negotioſos homines, huc illuc ſparſos, donum compellere. Viator qui totos ſoles accelerat greſſum, hoc unicè contendit, ut veſperi ſub tecto eſſe liceat.

Digitized by Google

liceat. Domum quærit, hoſpitium indagat, quietis locum deſiderat, ubi pernoctet. Qui totos dies negotiis merſus diſcurſat, hoſpitalem & amicam noctem optat, quâ reſpiret. Non raro convivæ ad umbilicum noctis tam ſtrenue perpotant, ut quandoque etiam monendi ſint, ſat poculis datum, domuitionem parent, ſomno vacent. Et hoc diſcriminis eſt inter homines & feras. Nox hominem ad cubile revocat, illas cubilibus educit. Quod hebræus Pſaltes adſtruens: Poſuiſti tenebras, ait, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam. *a*

Veſper compellit domum. Ite domum ſaturæ, venit Heſperus. Veſper in cubile revocat. In illud ſcilicet quò regius vates digitum intendit. Et in cubilibus veſtris compungimini. *b* Nec ego aliud monebo quam domum veſperi eundum, cubile

a *Pſ.* 103. v. 20. b *Pſ.* 4. v. 5.

fol. 393.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

bile ingrediendum. Ita omnes & ſingulos moneo: Ingredere cubile tuum, deſcende in te ipſum, Conſcientiam excute. Jam ſuprà dictum, quid ſit Bona Conſcientia. Hic quæſtio ſit: Quid faciat bonam Conſcientiam. Cui rectiſſime reſponderim: Creberrime, imo quotidie illam examinare. De examine Conſcientiæ copioſius diſſerui in Triſmegiſto, ubi de cultu Conſcientiæ actum. Nunc iſto ac ſequenti capite decem rationes ac cauſſas breviter exponam, cur Conſcientia quotidie cum cura & ſolerter ſit examinanda.

SCRIPTURA.

Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1 Cor. 11. v. 31.

PICTURA.

Fons cum erectâ columna, in qua Cor ſublime, è quo V. fonticuli ſalientes.

CAuſa 1. cur Conſcientia quotidie ſub noctē examinanda, eſt exemplum

emplum eorum, qui gentilitatis tenebris oppreſſi, Conſcientiam examine quotidiano non ſolùm explorandam docuerunt, ſed & explorarunt. Pythagoras unumquemque diſcipulorum ſuorum frequentius monuit, ut cùm ædes ſubiret, ſibi ipſe diceret: Quò prætergreſſus? quid geſtum in tempore, quid non? *a* Apollonius Thyanæus ſecum ipſe in eum modum loqui ſolitus: Novi, ajebat, videtur mihi; quò ferimini? ſciendum eſt. Et plura talia, quæ Conſcientiæ faciunt ſcrutandæ. Illuſtriſſimè omnium Seneca, qui modum excutiendæ conſcientiæ à ſe traditum ſecutus ipſe: Animus, inquit, quotidie ad rationem redder[illegible]n vocandus eſt. *b* Quis, obſecro, [illegible] Chriſtianæ religionis arcanum philoſophis iſtis aperuit? Fortaſſis, inquies, aliter docuerunt in ſcholis, aliter vixerunt domi, quod de ſe Lacides philoſophus eſt faſſus. Non ita ſanè iſti: Sed dicta facta per diem diligentiſſimè recognoſcebant. Sextus in quotidianâ conſcientiæ per-

a *Suid. mihi pag.* 845. *& pag.* 21. b *Sen. l.* 3. *de Irâ c.* 3[illegible].

perſcrutatione: Quod hodie, ajebat, malum tuum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti, qua parte melior es? Seneca apud ſuum ipſius tribunal: Quotidie, inquit, apud me cauſſam dico: cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt; & conticuit uxor, moris mei jam conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Et quod mirius eſt, Annæus inſtar Sodalis Parthenii aut hominis religioſi, non capitalia crimina, ſed minora etiam piacula noxaſque minimas perſecutus: Hodie, dicebat ipſe ſibi, diſputando nimiam in adverſarium acrimoniam ſtrinxiſti: Alium graviore verbo appellaſti. In convivio quòd non principe loco collocareris, excanduiſti: limis illum & iniquis oculis aſpexiſti. Ita Seneca quotidiano examine Conſcientiam ſuam exploravit. Idem alii fecerunt. Ah, Chriſtiani, nondum erubeſcimus, nondum colorem ducimus ad hæc exempla? Idololatræ conſcientiam examinarint quotidie, Chriſtiani vix ſemel in menſe? & negligant iſti, quod illi accuratiſſimè fecerunt?

Secunda cauſa. Conſcientiam diebus ſingulis excutiendam, ipſa docet ratio. Ubi domûs mundities curatur, pavimentum quotidie verritur; tutò navigatur, ſi ſentina identidem exhauriatur; nam etſi navigium ſit novum & firmum, aqua tamen rimulas invenit, quas penetret: lectus qui non quotidie componitur, ſomno iniquior efficitur. Conſcientiam cupis habere puram? quotidie illam excutiendo purga. Vis navigiolum tuum non mergi? ſubeuntem aquam identidem exantla. Somnos optas pacatos? Lectulum conſcientiæ tuæ quotidiana induſtria compone.

Narrat Pelagius ſenem optimum religioſo fratri ſollicite inculcaſſe, Domum conſcientiæ ſemper purgandam eſſe. Diabolus eſt inimicus, & tu domus: ille non ceſſat ſuper te jactare quidquid ſordium invenerit; tuum eſt, non negligere, ut foras projicias, quod ille jactaverit: aliàs replebitur tibi domus ſordibus, ut nequeas in eam intrare. *a*

At hoc nunquam commodius fiet, quam

a Pelag. libello 11 *n.*48. *apud Roſuveidum.*

quam veſpertino ſub examine. Diſcrimen ſit inter hominem & pecudem. A pecude alienum non eſt, ſed ab homine, in ſtratum irruere nullis precibus, nullà conſcientiæ diſcuſſione præmiſſa. Hebræus pſaltes hortatur: Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini. Cum ſoli eſtis noctu, errores præteritæ diei reſumite, eoſque dolendo & ingemiſcendo expungite.

Tertia cauſa. Sanctiſſimorum quorumque hominum exemplum. Beatus Ignatius horis ſingulis in ſe ſe deſcendit, & conſcientiæ latebras penetrare inſtitit *a*. Beatus Franciſcus Xaverius ſæpius in die conſcientiam omnem perveſtigavit, in eo perfectæ vitæ cardinem verti arbitratus. Iſtud hi viri religioſiſſimi è ſanctorum hominum libris, è Chryſoſtomi, Hieronymi, Ephremi, Dorothei, Bernardi, Bonaventuræ ſcriptis didicerunt. Hinc etiam ſanctus Ignatius lege ſanxit, ut ſui omnes quotidie bis Conſcientiam perſcrutatione accuratâ excuterent. Quod

 etiam

a *Ribadeneira in vita illius l. 5. c. 1.*

Digitized by Google

etiam aliæ religioſæ familiæ obſervant, & quidem cum eâ curâ, ut ſingulis vicibus dimidiam horam perluſtrandæ conſcientiæ impendant, ſic universè per diem hora integra huic mentis exercitationi tribuitur. Quod mihi ante annos non multos antiſtes in ſuâ familia fieri certa fide aſſeveravit. Hoc autem ab homine profano & negotioſo nemo exegerit: modò veſperi pars horæ unica tam piæ conſuetudini aſſignetur.

Hîc ego quam poſſum contentiſſimè vociferor, & omnes illos, qui volunt piè vivere in Chriſto Jesu, exhortor, & rogo amantiſſimè, ut in Chriſti Domini honorem, & in animi ſalutem è viginti quatuor horis, vel unicam particulam, vel quadrantem unicum decerpere non graventur, eumque luſtrandæ conſcientiæ aſſignare. veſtrum eſt reliquum viginti quatuor horarum ſpatium: Satis erit temporis quod cibo ſumendo, quod ſomno capiendo, quod negotiis tractandis detur, vel unica ſaltem pars horulæ dematur, obſecro, quæ conſcientiæ purgandæ inſumatur. Hoc

ſanè

ſanè profectum in virtutibus pluri-
mum juvabit. Nec difficilis eſt mo-
dus excutiendæ. Sume tibi, mi Chri-
ſtiane, Chriſti crucifixi quinque vul-
nera. Ad primum, Age Deo pro be-
neficiis gratias. Ad alterum, pete
à Deo lumen in diem tranſactum in-
quirendi. Ad tertium lateris vulnus,
diei præteritæ cogitationes, dicta &
actiones inſpice. Ad quartum, noxa-
rum eo die commiſſarum veniam po-
ſce. Ad quintum, emendationem
firmam propone. *a* ſed progredia-
mur.

Quarta cauſa. Cur conſcientia ve-
ſperi cum Deo ſit concilianda. Mul-
ta millia hominum in æternas tene-
bras dejecti non fuiſſent, ſi conſcien-
tiam veſperi per horulæ partem ex-
amine quotidiano emaculaſſent. O
bone Deus! quanti letalibus noxis
obſtricti cubitum eunt; illic ſubitò
extinguuntur, & pertrahuntur ad
ſupremi regis tribunal, ſententiam
audituri in omnes æternitates immu-
tabilem! ſi tales in examine verſper-
tino *contritionis actum*, quem vo-
N 4 cant,

a. Hæc fuſius docentur in Triſmegiſto l. 1.

cant, exercuiſſent, & peccaſſe doluiſſent, æternis ſuppliciis addicti non fuiſſent. At verò morte ſubitâ occupati, è lecto migrarunt ad inferos, defectu pœnitentiæ. Tantillum eſt quod felicitatem æternam aut acquirit, aut perdit. Sed dices hominum religioſorum, aut ſodalium partheniorum eſt, dicta per diem & facta veſperi recognoſcere. Reſpondemus primò, exercitationem hanc ſacram ſummè neceſſariam iis, & nemini magis, quam qui flagitiis vitam inquinant, & eâ inſuper temeritate ſunt, ut conſcientiam noxis letalibus fœdatam deferant ad lectum, ac ſecurè dormiant, Orco ſanè proximi. Reſpondemus ſecundò: conſcientiam ſtato tempore, certoque ritu ac modò in jus vocare, religioſorum hominum eſt; ad arbitrium hoc facere, aliorum omnium eſt, qui Deo placere cupiunt. Optima ad ſubitam mortem diſpoſitio, quotidiana conſcientiæ perſcrutatio.

Quinta cauſa. Examen conſcientiæ quotidianum confeſſionem ſacram reddit expeditam & ſecuram.

Sacrum

Sacrum Confeſſionis myſterium ritè obire, & crimina ſua apud ſacerdotem exponere, res plena horroris & anxietatis videtur eſſe plurimis. Quomodo, ajunt, meminiſſe poſſim quid trimeſtri aut quadrimeſtri, quid anno medio aut integro deliquerim? Potes, mi Chriſtiane, potes, neque adeò difficulter. Quotidie in teipſum inquire, & rem omnem habebis factam. Nam qui ſedulò conſcientiam interrogat, is errores deprehenſos aut chartæ aut pugillaribus mandat; ita cum dies animi expiandi adeſt, confeſſionis ſeries jam perſcripta eſt. Nec opus hîc longâ ſollicitaque memoria. Rationibus collectis facilè ſubducitur ſumma. Ubi paterfamilias accepti & expenſi rationes quotidie ſollerter inſcribit, hebdomade finitâ facillime perſpicit, quo loco res ſint: ita prorſus qui diebus ſingulis paullò accuratiùs conſcientiæ nævos annotat, poſt hebdomadem aut menſem exactum nullo negotio noxarum ſummam colligit. Hîc rationes expeditæ ſunt, ubi quotidiana vigilat induſtria.

Lex diteſcendi optima eſt, nihil cuiquam debere. Qui autem nulli debere vult quidquam, is argento præſentario, pecuniâ numeratâ diſſolvat omnia. Nos quotidie Dei debitores conſtituimur; in multis offendimus omnes; a quotidie nova recipimus beneficia, nova contrahimus debita. Nihil hîc conſultius, quam explicatâ ſolutione nomen contractum ſtatim eo ipſo die tollere: quod veriſſimè fit in conſcientiæ quotidiano examine, gratias agendo, culpas deprecando, emendationem ſtatuendo. Ita finis diei reſtituit, quicquid dies totus perdidit.

Beatus Dominicus, religioſiſſimæ familiæ auctor, mirificam ſibi ſpeciem vidit obiici. Cænobium cacodæmon obiit, & diverſas illius partes curioſiſſimè luſtravit, quantumque meſſis hîc illic haberet, non ſine acerba inſultatione faſſus. Compluribus locis, ajebat, non modicum lucror: Nam hic garriunt; hîc ludunt; hîc potant; hîc otiantur; hîc dormiunt: ubi ad locum religioſi ſenatus, Capitulum.

a *Iacobi c. 3. v. 2.*

lum a vocant, pervenit: Hîc perdo inquit, quicquid lucror alibi. Idem de nocturno examine conſcientiæ affirmari poteſt, quicquid ille hominum vexator Diabolus, toto lucratur die, id omne perdit veſpere, cùm quis ſenatum in pectus convocat, & perorantem audit Conſcientiam.

Hoc autem non tantùm tranquillum ſomnum, ut dicimus, ſed etiam mane beatum efficit. Unde maximi refert vigilias diei piè ac ſanctè ordiri. Dimidium enim facti, qui bene cœpit, habet. Atqui hoc pendet à ſomni præcedentis principio, quod omnes pii ſcriptores affirmant. Nam qui cogitationibus fœdis involutus it cubitum, iiſdem nondum expeditus cubitu ſurget; adeò matutinum tempus pendet à præcedente veſpertino, ut ſomnum malè finiat, qui eundem malè cæpit. Ideo nullus ſit Chriſtiani ſanguinis qui non ante initium Somni in ſeipſum deſcendat, cum Deo ſuo calculum ponat, & intimos animi receſſus inſpiciat.

CA-

a *Exhedrion* Capittelshauß.

CAPUT XIV.

Continuatio de neceſsitate & utilitate quotidiani examinis Conſcientiæ.

NUſquam eſt, qui ubique eſt; ait Romanus ſapiens. *a* foris Argus, intus talpa. Sunt mercatores, qui in regiones pœne omnes excurrant, qui Italiam, Belgium, Galliam, Hiſpaniam peragrent, & circulentur Orbem: hinc modò Romæ, modò Mediolani, jam Pariſiis, jam & Conſtantinopoli agunt. Hi totos ferè annos extra patriam degunt, nec quid in familia ſua rerum agatur, ſciunt. Verbo, vix unquam domi ſunt. Hoc idem prorſus affirmari poteſt de homine illo, qui in ſeipſum raro deſcendit, aut nunquam: curis implicatus, adverſis dejectus, negotiis occupatus & merſus, omnia ſibi commiſſa fideliter curat, tantummodò ſeipſum negligit: Huc illuc commeat, has illas urbes pervagatur, domi eſt rariſſime, omnibus optime notus, ſibi ipſi ſolùm ignotiſſi-

a *Sen. ep.* 2.

gnotiſſimus. De hoc tali homine priſci veriſſime, cantabant. *Notus nimis omnibus, ignotus moritur ſibi.*

Adoleſcens ille prodigus inter infame contubernium adulterinâ monetâ notior, ſibi ſolùm ignotiſſimus vixit. Denique ubi rem omnem concoxit, animum ſuum ingreſſus, cum conſcientia ſua cœpit colloqui. Mera prius vixit bacchanalia, triſtia demum ſecuta ſunt cineralia; ille in ſe reverſus, *a* pectus planxit, conſcientiam excuſſit, patriam ſuſpiravit. Hoc feſſum laſciviis domum compulit, hoc apud parentem in gratiam reſtituit, hoc veſtiit, hoc fami ſubtraxit. Citius hoc feciſſet, ad eam rerum omnium inopiam non deveniſſet, nec enim ſui oblitus, ſibique ignotus in miſerias extremas incidiſſet. Verum, quamdiu numos habuit, conſcientiam non audivit, ad incitas redactus conſcientiæ monitis obtemperavit. Conſcientia cur, ab omnibus ſub noctem examinanda ſit, quinque cauſſas aſſignavimus; ſequuntur quinque alię quas brevitate ſimili explicabimus.

SCRI-

a *Luca* 15. *v.* 17.

SCRIPTURA.

Vade in domum tuam, Marci. 2.

PICTURA.

Lampas ardens in cavo monte, ſeu ſpecu, in quo noctua, lacertus, animalcula, ſerpentia & repentia.

SExta cauſſa. Poſt illas quinque præmiſſas, examen conſcientiæ, vera ſchola eſt, ubi ars artium diſcitur. *Noſce teipſum.* Hac arte ignorata, nil prodeſt viginti duas linguas cum Mithridate noſſe: ſcire omnia non ſatis eſt, ſi iſtud neſciatur, ſed inanis, & vana eſt omnis ſcientia, ſi plena vitiis ſit conſcientia. Divinus Rex David notitiam ſui ipſius, principium virtutis judicans: Cogitavi vias meas, inquit, & converti pedes meos in teſtimonia tua. *a* Quisquis cogitat vias ſuas, facile convertit pedes ſuos in vias rectas. De prodigo juvene illo beatus Lucas memorat: *In ſe autem reverſus dixit.* Hoc cogitationum

a *Pſal.* 118.

fo16.



Google

BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

ıum bonarum initium fuit: diu miſer, hîc demum ſe eſſe miſerum deprehendit.

Plutarchus narrat à Cræſo Lydorum rege potentiſſimo Delphicum oraculum ſollicitè conſultum, Qua via ad felicitatem tenderet? Reſponſum eſt: ſi teipſum cognoris. Hinc idololatræ cæci ſapientiſſimum hoc effatum Apollini ſuo tribuerunt. Sed refellens id Ambroſius: Jam pridem ante, inquit, hoc dictum: ſi ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere & abi. a Juvenalis veterum Romanorum ſalſus concionator, vel inſcius dixit, quod res eſt:

E cælo deſcendit: γνῶθι σεαυτὸν.
Figendum, & memori tractandum pectore, rebus
In ſummis minimiſque.

Si autem uſpiam actuoſis præceptionibus doceatur divinum illud, *Noſce teipſum*, profectò in examine conſcientiæ id ſeriò docetur. Neceſſe eſt igitur, ſi Auguſtino creditur, ut per ſingulos dies vitam noſtram ad judi-

a *Juven. ſat.* 11.

judicium vocemus, & quid egerimus per noctem & diem examinemus. *a* Hinc namque ſui ipſius notitia diſcitur.

Septima cauſſa. univerſalis priſcorum Patrum doctrina eſt. Hæc autem compendioſa via eſt ad omnes virtutes. Qui ſe ipſum novit, ſibi ipſi concionatur, unde ſe ipſo quotidie fit melior. Sed locus non ſit; tempus non ſit; ſomnus urgeat; curæ avocent, nihilominus pia hæc conſuetudo non penitus intermittenda. Animi ſalus potior eſt omnibus. Quærite primum regnum Dei, & cetera omnia adjicientur vobis. *b* conſcientiam quotidie ad tribunal citandam eſſe, Gregorius Magnus explicatiſſime: Electorum eſt, inquit, actus ſuos quotidie ab ipſo cogitationis fonte diſcutere. Illuſtre illud Auguſtini monitum, ſæpiuſque decantatum? quis neſcit? In tribunal mentis tuæ aſcende contra te, & reum te conſtitue ante te: noli te ponere poſt te, ne Deus ponat te ante te. cui addit, quod

a Auguſtinus, vel quiſquis eſt auctor. lib. de Spiritu & anima cap. 52. b *Matth.* 6 33.

Digitized by Google

quod ſequitur: Quia te non videns, placuiſti tibi, diſplicebis & mihi & tibi; mihi cùm judicaberis, tibi cùm ardebis. Hugo Victorinus auriculam oblivioſo convellens: Redi ad cor tuum, inquit, & ſubtiliter diſcute teipſum, non ſolùm qualis ſis, verùm etiam qualis eſſe debeas. Ita Hiſtoricorum quidam laudarunt principes nonnullos & reges, revera non quales fuerunt, ſed quales eſſe debuerunt. Xenophon ſuum depinxit Cyrum, non qualis reipſa fuerit, ſed qualis eſſe debuerit; ita & nos cum conſcientiam in jus vocamus, non ſolùm cogitemus quales fuerimus, ſed etiam quales futuri ſimus: de præteritis doleamus, de futuris ſanctiora ſtatuamus. Bifrons Janus hîc imitandus qui non acta ſolùm ſed & agenda reſpiciat. Ita cenſuerunt priſci Patres.

Octava cauſſa. Major ſomni tranquillitas. Qui extra periculum animi & ſalutis ſempiternæ ſomnum petere, qui conſcientia non palpitante ſed quieta cupit ſe quieti tradere, prius cum domino Deo ſuo rationem

O ſuppu-

ſupputet, & lætus ſecuruſque ibit dormitum. Auctor de imitando Chriſto cor vagum erudiens: Si non continuè, inquit, vales te colligere, ſaltem interdum, & ad minus ſemel in die. *a* Quis ille obſecro, qui perpetuis curis, crebrioribus colloquiis, aſſiduis negotiis diſtentus, animum ſemper habeat præſentem, & qui domi ſuæ ſit. Num ergo ſuperflua hæc pietas eſt, ſi quis veſperi per partem Horulæ ſecum habitet, mores ſuos inſpiciat, & ſanctis ſeſe deſideriis armet? Hoc non ſolùm rationi ſanæ, ſed & diſciplinæ Chriſtianæ convenientiſſimum, ſemel in die ſecum morari poſſe aliquantulum: Alioqui conſcientia coram Chriſto judice objiciet, quod Chriſtus olim Philippo. Tanto tempore tecum ſum, & non cognoviſti me? O te fatuum & rerum tuarum ignarum! Ergo dum licet, inſpice, cognoſce, ac dirige conſcientiam. Auctor, quem proximè laudavi: Gaudebis, inquit, ſemper veſpere, ſi diem expendas fructuo-

a *Thomas de Kemp. lib. 1. de Imit. Chriſti Cap. 19. n. 4.*

fructuoſè. Vigila ſuper te ipſum, excita teipſum, admone te ipſum, & quicquid de aliis ſit, non negligas teipſum. *a* Vel ipſe ſomnus tanto erit tranquillior & ſuavior, quantò conſcientia pacatior fuerit & ſerenior.

Nona cauſſa. Voluminum ſacrorum auctoritas hoc ipſum Conſcientiæ quotidianum examen digito monſtrat. Inſignisſimè Siracides ſenſu prorſus hiſtorico & genuino: Præcurre autem prior, inquit, in domum tuam, & illic avocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo aſpero. *b* Inhærens ſententiæ explanatio hæc eſt: Ante omnia tuam ipſe domum ingredere, & tumultibus te ſubtrahe; nec luſum tibi prohibeo, ſed ſuadeo ſpiritalem, ut ſpiritum fatigatum recrees, luſtrando conſcientiam & ſubmiſſe te ipſum accuſando. *c* Eodem digitum intendens Ezechiel: Ingredere, inquit, & includere in medio domûs tuæ, *d* conſcientiæ tuæ. Bea-

a *Thomas Kemp. l. 2. de Imit. Chriſti cap. 6.*
b *Eccl. c. 32. v. 15.* c *Ita Emanuel Sà explicat.*
d *Ezech. c. 3. v. 24.*

to Marco memorante, Chriſtus paralytico dixit: Vade in domum tuam. a Auguſtino explicante: Ingredere & ſcrutare conſcientiam tuam. Quis enimverò noſtrûm dicat? Ego Paralyticus non ſum, ad me non ſpectat hæc juſſio. Quando igitur cuivis noſtrûm à Chriſto hoc imperatur: Vade in domum tuam. Eamus & ingrediamur domum noſtram, luſtremus quotidie Conſcientiam noſtram. Cum ſerus appetit veſper, cùm ſomnus admittendus, ſeipſum quilibet Chriſti verbis urgeat: Vade in domum tuam, vade homo, vade, vade: Tecum ipſe paullulum morare, tecum habita. Beatum vitæ finem optamus omnes, propitium Chriſti tribunal nemo non deſiderat, huc autem non eſt certior, nec ducit rectior via, quam Conſcientiæ luſtratio quotidiana. Optimas & expeditiſſimas cum Deo rationes colligit, qui colligit quotidie. Clementiſſimum ſibi jure pollicetur judicem, qui judicem quotidianis conciliat obſequiis. Oraculum enim illud Pauli multò

a *Marci. c. 2. v. 11.*

multò certiſſimum eſt: Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. *a* Judicemus nos ipſos quotidie,& ab orbis judice nobis non male metuemus.

Decima cauſſa. Jobi & Davidis Hebræi Regis Illuſtriſſimum hac in re monitum & exemplum. Diſertè Jobus: Viſitans, inquit, ſpeciem tuam non peccabis *b* Qui rei familiari cupit ſervire & frugem facere, nunquam diu à domo abſit, & quid per domum hinc inde fiat, creberrimè veſtiget oculis, & *viſitet.* Hîc forſan dormitur? excitet. Hîc garritur; gerrones diſſipet. Hîc ab opere ceſſatur? labores ingerat. Hîc furtivè potatur? potatores puniat. Hîc negligenter laboratur? reprehendat & urgeat.Idem prorſus agat, qui pacatam conſcientiam amat, ſpeciem ſuam quam frequentiſſimè viſitet, & non peccabit.

Hebræus Rex David maximam ſanctimoniæ ſuæ partem nocti referat acceptam. Noctu flevit, nocte con-

a 1 *Cor. cap.* 11. *v.* 31. b *Iob. cap.* 5. *verſ.* 24.

conſcientiam excuſſit, noctu precatus & meditatus: Lavabo, inquit, per ſingulas noctes lectum meum, lachrimis meis ſtratum meum rigabo. a Eam lacrimarum copiam ſtillavit oculis, ita lectulum ſuum lavit, ut Hieronymus & contextus Hebræus quod paulô ante monui, hæc verba ſtatuant: Natare faciam lectum meum. Videte obſecro, quam ſeverus ac rigidus in ſeipſum judex fuerit Princeps Sionis, David; aliquanto tempore noctes totas, poſtea majorem noctium partem pervigilavit orando & plorando. Sic autem oravit, ut orationis ardor largiſſimas ei lacrimas excuſſerit; ita ploravit, ut lectum non tantùm leviter tinxerit; ſed ita, ut lacrimis nataret, madefecit. Ardens oratio, vehemens ſanè ploratio: Hinc illæ regis ſanctiſſimi pervigiles meditationes, quarum ipſe certiſſimus teſtis: Meditatus ſum, inquit, nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. *b* Velut ſcopulis, inquit, raſoriis pectebam & verrebam cor meum
&

a *Pſ. 6. v. 7.* b *Pſal. 76. 7.*

& conſcientiam meam. Perinde ut mulier illa Chriſti penicillo depicta lucernam accendit, domum everrit, & perditam drachmam quæſiit: *a* ita David: Meum, inquit, animum penitiſſimè ſcrutatus ſum, ut latentem in eo veritatem reperirem. Quo autem tempore hoc ſolitus eſt facere Rex David? Mediâ nocte ſurgebam, inquit, ad confitendum nomini tuo. *b* Et nox illuminatio mea in deliciis meis. *c* Deliciæ Davidis, eſſe & agere cum Deo. Ab hoc lumine accepit lumen: Nox illum fecit videntem. Ita ſanè dixerit, qui ſeriò rationem cum Deo diſputat noctu: Nox illuminatio mea. Ad hanc lucernam ſe penitiſſimè pervidet.

En, cauſarum quàm abunde ſatis, cur factaque & dicta omnia noctu remetienda, cur omnes conſcientiæ latebræ intimique receſſus inſpiciendi. Beatus, qui vigilat quotidie ſuper cuſtodiam gregis ſui. *d* Subinde patri, qui liberos malâ diſciplinâ depravat, dicitur: Filios tuos, mi Pa-

a *Luca* 15. 8. b *Pſal.* 118. *v.* 62. c *Pſ.* 138. *v.* 11. d *Luc.* 2. *v.* 8.

ter, ad meliores mores ipſus erudi, ne alii hoc facere cogantur: Ita cuivis hominum dicendum; Teipſum doce, teipſum judica, teipſum puni & caſtiga, ſi à Deo puniri nolis & caſtigari. Non enim, quod Nahum dixit, conſurget duplex tribulatio. *a* Neque Deus, quod Theologiæ ſcitum eſt, puniet bis in idipſum. Imò Cypriano fidejuſſore, nec bis in idipſum judicabit. *b* Verum ſi noſmetipſos dijudicaverimus, tantum abeſt ut judicandi à Deo ſimus, ut cum eodem Paulo aliorum etiam judices ſuo tempore ſimus conſtituendi. *c*

a *Nahum. c.1. v.9.* b *Cypr. ſerm. de paſſ. Dom.* c *1 Cor.6. v.2.*

CAPUT XV.

Conſcientia bona quomodo acquirenda.

VEteri jactatur verbo: ſui cuique mores fingunt fortunam. Ita Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici: Fortunam, inquit, quiſque ſibi ſuis fingit moribus. Prout opifex, ita & opus eſt. à ſtatua noſces ſtatua-

ſtatuarium. Prout quis ſapit, ita multum aut minus promovet. Plautus in Trinummo: Sapiens, ait, ipſe ſibi fortunam fabricat. Quod priſci de fortunâ, nos multò æquius aſſeremus de conſcientiâ. Conſcientiam quiſque ſibi ſuis fingit moribus. Qualem quis agit vitam, talem & habet Conſcientiam. Si pia eſt vita, læta hilariſque eſt Conſcientia. Si vita eſt fœda, deſes, vitioſa. Conſcientia pariter exulcerata, triſtis, & inquieta. Chriſtianus ipſe ſibi fingit conſcientiam.

Quâ verò arte fingenda ſit melior conſcientia? an non certo tractanda modo? quæſtio non erit inutilis. Nam quemadmodum Ceroplaſtæ ars callenda, qua ceram fundat; pictori qua colores miſceat, ærario fuſori qua metalla temperet: ita Chriſtiano excogitandum eſt artificium quo conſcientiam tranquillet, ac in dies perficiat. Et de hoc ipſo jam agemus.

Digitized by Google

SCRIPTURA.

Optimum eſt gratiâ ſtabilire Cor. Hebr. 13. v. 9.

PICTURA.

Columba in aquâ limpida velut in ſpeculo cernens ſupervolantem Milvum.

DIvinus Paulus artificium tradens ſolidandæ conſcientiæ: optimum eſt, inquit, gratiâ ſtabilire cor. *a* Quo tandem modo? Non eſcis, ait, quæ nihil profuerunt ambulantibus in eis. Quod ergo firmamentum pectoris eſt? Angelorum teſtimonio. *Bona Voluntas eſt.* Hoc primum eſt artificium ſtabiliendi cordis, & conſcientiæ ad teneritudinem educandę. Porrò *Voluntas bona* in eo verſatur. ut homo non ſolùm animo velit, quęcunque agit, ad amuſſim voluntatis divinæ agere, ſed etiam conetur, & operam det, ac laborem ad hoc conferat, ut quod vult, in opus prodeat, poſſitque quovis momento dicere:

Domine

a Hebr. c. 13. v. 9.

fol. 218.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Domine tu ſcis, me ſeriò velle ſecundum ſanctiſſimam voluntatem tuam omnia facere. Inde oritur, ut homo tam Bonæ voluntatis omnes actiones ſuas quas vel leviter habet ſuſpectas, applicet ad hanc regulam: Num iſtud, & iſtud etiam, & illud quoque ad divinam voluntatem eſt? ſin aliter eſſe comperiat, flectit actionem & emendat, dum ea divinæ Voluntati exactè reſpondeat; uti fidicen tam diu fides intendit, remittitve, dum muſicæ legi adſonent. Hæc Voluntas bona quietam & verò etiam lætam ſervat conſcientiam. Abſque hac bona Voluntate varia mœroris cauſſa ſæpius ſe prodet, in homine etiam probo. Nec enim ullus tam eruditus ſui magiſter, ut ſine quotidianis nævis ſit: quos ſanè tantò clarius cernet, quantò Conſcientia purior exiſtit. Quò autem quis acutius ſuas intuetur maculas, tantò majorem inde contrahit triſtitiam & animi dejectionem. Hinc optimorum nonnunquam hominum voces illæ puſillanimes & pavidæ: Nihil proficio, in dies deterior fio, nihil emen-

do; actum ago. Hic bona ſe ſe Voluntas ingerit, ſolatur, erigit hunc in modum: Tametſi non omnia, dum vivis, ad exactiſſimum perpendiculum facias, nec facturus ſis, tu tamen tibi conſcius es Bonæ Voluntatis, nunquam petulanter abjectæ. Angelorum carmen non ignoras: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis *a* ſuprá, meliore loco erimus ſine nævo, pares Angelis, Chriſto affirmante. Et erunt ſicut Angeli Dei. *b* Hîc etiamnum calcamus lutum, quid mirum ſi pedes inquinemus, & referamus luteos. Idcirco Chriſtus in ſuprema cena: Qui lotus eſt, inquit, non indiget, niſi ut pedes lavet. *c* Mortales ſumus, & quidem fragiles admodum, atque caduci, & imbecilles. Tu perge; ſed ita, ut quotidie Bonam Voluntatem in te reſtaures. Pax tibi erit, ſi Bona voluntas non defuerit. Propitium ſemper habebis Deum, ſi idem ſemper quod Deus vult, & tu velle fueri conatus.

Aſſyrius Naaman jam Lepra, qua tene-

a *Luc.* 2. *v.* 14. b *Matth.* 22. *v.* 30. c *Io.* 13. 10.

tenebatur, curata, ſtatuit omnino facere, quod juberet Deus, nec iis amplius, quibus idololatra erat obnoxius, vitiis indulgere. Bona prorſus voluntas, & tenerioris conſcientiæ principium. Mox enim Naamam Eliſæo ſtipulata manu promiſit: Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino. *a* En Conſcientiam ſtrictam & teneram. Mox & Conſcientiæ ambiguitates proponens: Quando ingreditur Dominus meus, inquit, templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re. *b* En Conſcientiæ caſum, ut vocant, non levem. Rex meus, inquit, cum idoli ædem ingreditur, genua ſubmittit, ego neceſſariò idem facere cogor, cum mihi innitatur. Quid hîc agendum, ne Deum offendam? Vade in pace, ait Eliſæus; quo dicto religionem homini exemit. Anteà Naaman conſci-

entiæ

a 4. *Reg. cap.* 5, *v.* 17. b 4. *Reg. cap.* 5, *verſ.* 18.

Digitized by Google

entiæ laxiſſimæ, faſtuoſus, idololatra, ambitioſus, impatiens, indignabundus parabat abitum momento. Jam totus alius religioni habet in æde Remmon, officii cauſſa ſe inclinare. Hanc Conſcientiæ teneritudinem inducit bona Voluntas; primum arctioris Conſcientiæ principium.

Alterum eſt, *Intentio recta*, quæ Bonæ Voluntati aliquid addit. Frequentiſſimum eſt, ut ſibi quis optimum præfigat finem, nihilominus graviter impingat, & tam ſibi quam aliis damno ſit. Hîc ſæpe mœror & angor ſubit, vehemenſque animi conturbatio: Sed ſuppetias veniens Conſcientia & ſolatium inſtillans: En, ſumma fide, ſuggerit, optimóque animo hoc feciſti; certè neminem offendere voluiſti, & tamen hoc inde natum eſt incendium, & pænè jam cælum minitatur ruinam. Verùm non turbetur cor tuum, Deus & ego teſtes ſumus, quòd nequiter non egeris. Hi duo teſtes tibi ſatis ſint. Dicant jam alii quicquid velint, fremant & indignentur; quatiatur Orbis,

bis, ruat cælum, feriat te ac ſepeliat hæc ruina, modò innocentem, modò Intentionis rectæ tenacem.

Hoc ſanè pacatam tranquillámque ſervat Conſcientiam: pax alioqui nulla erit animo, niſi ſit pax iſta. Tres illi ab Oriente Dynaſtæ, qui Chriſtum recens natum ſalutaturi venerant, tam Herodem quam omnem urbem, Hieroſolyma, turbarunt. Fuerint forſan, qui illis dixerint: Cur non prudentiùs & circumſpectiùs egiſtis, rebus antè certiùs exploratis? At veró conſcientia eorum Intentione recta illos præclariſſimè confirmavit, & conſtanter cæpta urgere juſſit. Hinc iſtæ illorum voces: *Venimus adorare eum*; quid enim nos poſſumus ſi Rex ſucceſſorem metuat, ſi plebs novum ſceptrum exhorreat; non venimus turbare Herodem, nec venimus commovere civitatem, ſed venimus adorare Iudæorum Regem. Ubi eſt qui natus eſt, cujus ſtellam vidimus? En rectiſſima Intentio, bonæ Voluntatis ſoror, & quietæ conſcientiæ Mater. Tum demum animus quieſcit, cúm ſincere ac bona fide

de rectaque Intentione agit.

Tarſenſis Paulus cùm veniſſet Epheſum, ut Lucas memorat, impleta eſt civitas tota confuſione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gajo & Ariſtarcho, Macedonibus, comitibus Pauli. Vox facta una eſt omnium quaſi per horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum. De turba autem detraxerunt Alexandrum propellentibus eum Iudæis. a Seditio horribilis. Hîc Paulo quis objecerit: Quid agis, Paule? hoc urbis ingreſſu ſeditionem concitas. Cautiùs ac prudentius oportuiſſet hoc negotium aggredi. Cui Paulus jure reſponderit; Deus & Conſcientia mea teſtimonium mihi dant de recta, quam huc attuli, Intentione; non veni turbas concitaturus, ſed diſciplinas Chriſtianas traditurus. Recta pro me loquatur intentio.

Errores ejuſcemodi crebriores ſunt, in quibus ſeptemplicis clypei loco eſt recta intentio, quæ una & ſola Conſcientiam reddit pacatam.

Tertium eſt. *Beneficiorum divino-*

a *Actor. c.* 19. *v.* 29. *& ſeqq.* *rum*

rum memoria. Sed dixerit aliquis, quis tam aſſiduè alligetur Intentioni rectæ? Mentor divinæ beneficentiæ. In promptu ſit ſemper Catalogus, primò quidem communium, deìn & ſingularium beneficiorum. Dicat quiſque ſibi: Quid ſi natus fores in Turciâ, aut inter Japones vel Sinenſes? quàm tu miſer eſſes, ac deplorandus? nunc verò non tantum homo es, & homo liber, ſed Chriſtianus, ſed Catholicus. Adde jam ſingularia Dei beneficia, vitam ſingulis momentis non ſolùm ſervatam, ſed inſuper è tantis tamque crebris periculis, non corporis tantùm ſed & animi liberatam. Deinde quantum bonorum dedit corpori, quod multis millibus non dedit, victum copioſum, amictum lautum! quantum animo gratiarum & donorum contulit? Non fecit taliter omnino nationi. Et nunquid ſaltem in die ſemel gratias ages de tantâ beneficiorum copia. Nimis hoc barbarum & planè impium eſt, nec ſemel quidem in die memorem ſeſe ac gratum Deo ſiſtere. Certe qui uno, aut pluribus horum

deſtituti ſunt beneficiis, non ſemel, ſed ſæpius interdiu ſuam cum gemitu indigentiam teſtantur. Quanto magis meminiſſe deceret ſuæ felicitatis tam largiter donatum?

Novimus qua ratione vates Hebræus Nathan Conſcientiam regis Davidis adulterio ac cæde conſpurcatam, divinorum beneficiorum memoria expiaverit, hunc in modum: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, ego unxi te in regem. Memento domine mi Rex, te juvenem paſtoritium & opilionem fuiſſe, nunc eſſe regem, qui pro vili tugurio inſtructiſſimum palatium; pro pileo ſtramineo coronam auream; pro pedo ligneo ſceptrum gemmatum acceperis; pro ruſticana ſponſa Domini tui conjuges; Et ſi parva ſunt iſta, adjiciam tibi multò majora. *a* Quare ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo? animi prorſus ingrati argumentum exhibuiſti. Aſperior hic preſſus ita perculit regem, ut deinceps conſcientiam accuratiſſimè coluerit, benefico Numini mirè gratus:

a 2. *Reg.* c. 12. *v.* 8.

gratos: Hinc illæ voces: Miſericordias Domini in æternum cantabo, in generationem & generationem. *a*

Quartum; *Libertas Sancta.* Sapiens Periander interrogatus quid eſſet libertas? Recta, inquit, Conſcientia. Perinde ac ſi diceret; effectus ab illâ cauſſa. Porrò ad libertatem ſpectat, uti Bernardus arbitratur, habere peccati odium, & mundi contemtum. *b* Sunt qui peccatum oderint, ſed nondum contemnant Mundum. Agere in Mundo, & Mundum contemnere, negotium difficile. Sed bono animo, contemptus iſte ſic accipiendus eſt, ut animus humanus ſuam non ignoret libertatem, nec ab ullo mortalium ita pendeat ut eo ſubtracto vitam cenſeat intolerabilem. Homines animi puſilli rationes nobiſcum ipſi nonnunquam ita putamus: Si Patronus iſte me deſerat, ſi favor illius me deſtituat, ſi negotium iſtud non ſuccedat, ſi mea me expectatio fallat, actum eſt, perii.

Quid, ais, homo timide? nequaquam ita ratiocinandum. Nam etſi

a *Pſ.* 88. *v.* 1. b *Bern. de inter. domo. c.*

amici deſerant, ſpes fallat, vota illudant, Mundus totus decipiat, omnia ſiniſtrè cadant, neutiquam abjiciendus eſt animus. Etiamnum Deus gubernat, & ſingula vitæ momenta ſuis diſpenſat nutibus, á quo tantò plus auxilii ſperandum, quantò minus ab hominibus poteſt expectari. In his omnibus liber ſit animus qui bonâ ſeſe tueatur Conſcientia.

Chriſtus diſcipulis trepidantibus animos addens: Confidite, inquit, ego vici Mundum. *a* Jam domitus, jam vinctus, jam proſtratus eſt, jam jacet; vos calces in illum elidite, nec opus machinis robuſtioribus. Contemptu Mundus optimè triumphatur. Nec enim nocere poteſt niſi nocumentum amantibus. Eximiè Auguſtinus hanc animi libertatem commendans: Quid mihi prodeſt, inquit, ſi me continuis laudibus totus Mundus attollat, ſi Conſcientiam mordat veritas criminis? Nec malam Conſcientiam ſanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat opprobrium conviciantis. *b* Hac

a *Io.c.* 16. b *Aug.tom.*⁻. *contra litteras Petiliani Donatiſtæ c.*7. *mihi pag* 127.

Hac animi libertate Conſcientia bona incredibiliter juvatur. Nec enim curat homo erecti ſpiritûs ſe fatuum cenſeri, imò ipſe ſe talem in plurimis cenſet, interim ſapiens & liber eſt, cum judiciorum ejuſcemodi & ſermunculorum poſſit eſſe contemptor.

Noſtro Ævo Londini in Angliâ, primarius ludi moderator, qui Sebaſtianus audiit, comœdiam dedit ſpectante Reginâ Eliſabetha. Miro plauſu excepta eſt actio: Juſſus ergo gratiæ aliquid ſibi poſtulare. Quibus ille: Regiæ liberalitati, ait, gratias ago maximas, nec alio quam libertate Conſcientiæ donari velim, quo mihi liceat religionem Catholicam impunè ſequi, ac profiteri.

Enimverò Conſcientia, non carnis, ſed Spiritùs libertate gaudet. Suavis quidem eſt libertas carnis, ſed letalis. Hæc diſciplinam odit, frenos excutit, imperia ſpernit, ad libitum agit omnia. Jucunda eſt hæc libertas, ſed peſſima. Ea ſectanda eſt, quâ libertate nos Chriſtus liberavit. a

 Jam

a *Gal. cap. 4.*

Jam á *Circumciſionis* auſterâ lege, & ab aliquot centuriis veterum præceptorum ſumus liberi, & gratiis quam plurimis dotati. Sufficiat nobis hæc libertas. Illa quæ carnem ab obſequiis & ſervitiis liberat, ſervitus eſt deterrima. Erectæ mentis libertatem amat Conſcientia.

Quintum Conſcientiæ bonæ adjumentum; *Celeſtium explorator Spiritus.* Cum populus Hebræus ex Ægypto jam liber per vaſtiſſimam ſolitudinem iter converteret ad terras fertiliores, Dux populi Moſes exploratores miſit, per meridianam plagam, ut conſiderarent terram & terræ incolas, num pauci numero an multi; fortes an infirmi; ipſa terra, bona an mala; urbes quales, muratæ an abſque muris; humus pinguis an ſterilis; nemoroſa an abſque arboribus. Cum illuc perveniſſent exploraverunt terram undequaque; delati demum eo itinere in Hebron ad torrentem Botri, ubi abſciderunt palmitem cum uva ſua, quam viri duo portaverunt in vecte. Ita omni regione luſtratâ redierunt ad Moſen, dixe-

dixeruntque: Venimus in terram ad quam miſiſti nos, quæ revera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt. At verò Ioſue & Caleb, qui & ipſi luſtraverant, terra, inquiunt, quam circuivimus, valdè bona eſt. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere. Ita omnino Spiritus, quem cæleſtium exploratorem hîc appellamus, mittendus eſt in altum, ut beatorum cęlitum regionem omnem conſideret, voluptates expendat, delitias inveſtiget, nectar & Ambroſiam guſtet, deſtinatum ſibi locum perquirat; cælum omne perambulet, rerum futurarum ac cæleſtium ſit explorator, in ſui ac conſcientiæ bonum. Ita Bernardus ad hoc iter nos erudiens, Spiritus, inquit, à terrenis averſus aſcendat ac viſitet ſupernas ſedes, currat per plateas ſupernæ Sion, audiat melos Angelorum, commendet ſe omnibus. *a* Ita Spiritus cæli peregrinator, tam viſa quam audita

a Bern. de int. domo c. 12.

dita in cælo recenſeat conſcientiæ.

Verum ad cæleſte hoc iter maximè idoneus eſt Spiritus ſui notitiâ imbutus. Clarevallenſis Doctor iterum monens: Fruſtra, inquit, cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus eſt ad videndum ſeipſum: prius enim neceſſe eſt, ut cognoſcas inviſibilia Spiritus tui, quàm poſſis eſſe idoneus ad cognoſcenda inviſibilia Dei. Et ſi non potes cognoſcere te, non præſumas apprehendere ea, quæ ſunt ſupra te. *a*

Hoc itaque Conſcientiam puram incredibiliter exhilarat, animo frequentius in cælum ire. Et obſecro, Chriſtiani, quis noſtrûm seriò poſſit eſſe triſtis, ſi bonam habeat Conſcientiam, & mente ſæpius ad cælum conficit viam! Hebræi exploratoris Calebi verbis hîc utor: Aſcendamus & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. *b* Aſcendamus animo, dum ſequi liceat & corpori. Aſcendamus in regionem viventium. Hanc viam nobis nulla inter-

a *Ibidem.* b *Num. c.13. v.31.*

intercluſerit calamitas. Aſcendendo non fatigabimur. Tamen ſunt, qui deambulationibus ita impensè oblectantur, ut eos magis aurâ quam cibo victitare putes: malunt enim eduliis genium ſuum, quam corpus aſſuetis excurſibus fraudare; ſæpe ad ſecundam, non rarò poſt ſublatam illam etiam menſam iure primùm revertentes. Quid ni ſuæ ſint etiam nobiliſſimo animo, tam arctè, tamque miſerè habitanti decentes evagationes? quid nî quotidianæ, quid nî horariæ? cum & magis expeditæ ſint illis corporeis, minuſque laborioſæ; & quod caput eſt, plus quam dici poſſit, quæſtuoſæ ac ſalutares. Animus ad ardua & excelſa non anhelat, neque laſſatur locorum intervallis. Non enim movetur anima pedibus ait Auguſtinus ſed affectibus. a Excurramus, exploremus.

a *Aug. tr. 48. in Ioan. circa initium.*

CAPUT XVI.

Signa Conſcientiæ bonæ, ſive purgatæ.

DIalis Flamen religionibus obſtrictus porrum non ſolùm non edebat, ſed nec quidem tangebat. Myſterii, dices, an valetudinis cauſſa? utriuſque; maximè myſterii. Porrum inflat, fumos in caput ſubmittit, lacrimas ciet, oculis pernitioſum, nonnunquam & vitæ. Plinius enim Major de porri ſucco commemorans: *Fama eſt*, inquit, *quod Tiberius vocarit Melam Equitem reum ex procuratione, is in ſummâ deſperatione porri ſuccum ad trium denâriorum argenteorum pondus hauſit, & confeſtim expiravit ſine cruciatu.* a Quando igitur ſacerdotis eſt, tam oculis quam intelligentiâ valere, porrum ſacrificulis illis vitandum fuit.

Chriſtianorum Deus, Rex ſummus maximam Sacerdotum ſuorum curam gerens: *Quia tu ſcientiam repu-*

a *Plin. l. 19. Nat. hiſt. c. 6. poſt med.*

Digitized by Google

repuliſti, ait, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. *a*

Nobiliſſima eſt ſcientia, quam Deus poſcit ab omnibus; Majores noſtri cordis Scientiam, aut conſcientiam dixere. Hæc officio ſuo rectiſſimè functa creditur, cùm ſeipſum quis noſſe incipit. Porrum appelles mortalem hominum vitam, miſeriis pleniſſimam, lacrimis uberrimam. Iſta ut Gregorius affirmat, á dilectoribus ſuis non ſine luctu agitur, & tamen cum lacrimis amatur. Vbi ergo porrum hoc in delitiis habetur, ubi vita hæc lachrimoſa diligitur, hîc oculi fluentes & ægri, hîc nulla ſui notitia, hîc vera deeſt cordis ſcientia. Qui autem hoc porri edulium cautè fugiunt, acutioris viſûs argumentum edunt. Ita hîc ad ſigna tam bonæ quam malæ conſcientiæ monſtranda progredimur. Et hoc quidem capite ſex ſigna conſcientiæ ſub aſpectum ſubjiciemus.

a Oſ. cap. 4. verſ. 6.

SCRI-

Digitized by Google

deſtituti ſunt beneficiis, non ſemel, ſed ſæpius interdiu ſuam cum gemitu indigentiam teſtantur. Quanto magis meminiſſe deceret ſuæ felicitatis tam largiter donatum?

Novimus qua ratione vates Hebræus Nathan Conſcientiam regis Davidis adulterio ac cæde conſpurcatam, divinorum beneficiorum memoria expiaverit, hunc in modum: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, ego unxi te in regem. Memento domine mi Rex, te juvenem paſtoritium & opilionem fuiſſe, nunc eſſe regem, qui pro vili tugurio inſtructiſſimum palatium; pro pileo ſtramineo coronam auream; pro pedo ligneo ſceptrum gemmatum acceperis; pro ruſticana ſponſa Domini tui conjuges; Et ſi parva ſunt iſta, adjiciam tibi multò majora. *a* Quare ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo? animi prorſus ingrati argumentum exhibuiſti. Aſperior hic preſſus ita perculit regem, ut deinceps conſcientiam accuratiſſimè coluerit, benefico Numini mirè gratus:

a 2. *Reg.* c. 12. *v.* 8.

gratus: Hinc illæ voces: Miſericordias Domini in æternum cantabo, in generationem & generationem. *a*

Quartum; *Libertas Sancta.* Sapiens Periander interrogatus quid eſſet libertas? Recta, inquit, Conſcientia. Perinde ac ſi diceret; effectus ab illâ cauſſa. Porrò ad libertatem ſpectat, uti Bernardus arbitratur, habere peccati odium, & mundi contemtum. *b* Sunt qui peccatum oderint, ſed nondum contemnant Mundum. Agere in Mundo, & Mundum contemnere, negotium difficile. Sed bono animo, contemptus iſte ſic accipiendus eſt, ut animus humanus ſuam non ignoret libertatem, nec ab ullo mortalium ita pendeat ut eo ſubtracto vitam cenſeat intolerabilem. Homines animi puſilli rationes nobiſcum ipſi nonnunquam ita putamus: Si Patronus iſte me deſerat, ſi favor illius me deſtituat, ſi negotium iſtud non ſuccedat, ſi mea me expectatio fallat, actum eſt, perii.

Quid, ais, homo timide? nequaquam ita ratiocinandum. Nam etſi

a *Pſ.88.v.1.* b *Bern. de inter. domo. c*

amici deſerant, ſpes fallat, vota illudant, Mundus totus decipiat, omnia ſiniſtrè cadant, neutiquam abjiciendus eſt animus. Etiamnum Deus gubernat, & ſingula vitæ momenta ſuis diſpenſat nutibus, á quo tantò plus auxilii ſperandum, quantò minus ab hominibus poteſt expectari. In his omnibus liber ſit animus qui bonâ ſeſe tueatur Conſcientia.

Chriſtus diſcipulis trepidantibus animos addens: Confidite, inquit, ego vici Mundum. *a* Jam domitus, jam victus, jam proſtratus eſt, jam jacet; vos calces in illum elidite, nec opus machinis robuſtioribus. Contemptu Mundus optimè triumphatur. Nec enim nocere poteſt niſi nocumentum amantibus. Eximiè Auguſtinus hanc animi libertatem commendans: Quid mihi prodeſt, inquit, ſi me continuis laudibus totus Mundus attollat, ſi Conſcientiam mordat veritas criminis? Nec malam Conſcientiam ſanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat opprobrium conviciantis. *b* Hac

a *Io. c.* 16. b *Aug. tom.* ⁻. *contra litteras Petiliani Donatiſta c.* 7. *mihi pag* 127.

Hac animi libertate Conſcientia bona incredibiliter juvatur. Nec enim curat homo erecti ſpiritûs ſe fatuum cenſeri, imò ipſe ſe talem in plurimis cenſet, interim ſapiens & liber eſt, cum judiciorum ejuſcemodi & ſermunculorum poſſit eſſe contemptor.

Noſtro Ævo Londini in Angliâ, primarius ludi moderator, qui Sebaſtianus audiit, comœdiam dedit ſpectante Reginâ Eliſabetha. Miro plauſu excepta eſt actio: Juſſus ergo gratiæ aliquid ſibi poſtulare. Quibus ille: Regiæ liberalitati, ait, gratias ago maximas, nec alio quam libertate Conſcientiæ donari velim, quo mihi liceat religionem Catholicam impunè ſequi, ac profiteri.

Enimverò Conſcientia, non carnis; ſed Spiritûs libertate gaudet. Suavis quidem eſt libertas carnis, ſed letalis. Hæc diſciplinam odit, frenos excutit, imperia ſpernit, ad libitum agit omnia. Jucunda eſt hæc libertas, ſed peſſima. Ea ſectanda eſt, quâ libertate nos Chriſtus liberavit. *a*

 Jam

a *Gal. cap.* 4.

Jam á *Circumciſionis* auſterâ lege, & ab aliquot centuriis veterum præceptorum ſumus liberi, & gratiis quam plurimis dotati. Sufficiat nobis hæc libertas. Illa quæ carnem ab obſequiis & ſervitiis liberat, ſervitus eſt deterrima. Erectæ mentis libertatem amat Conſcientia.

Quintum Conſcientiæ bonæ adjumentum; *Celeſtium explorator Spiritus.* Cum populus Hebræus ex Ægypto jam liber per vaſtiſſimam ſolitudinem iter converteret ad terras fertiliores, Dux populi Moſes exploratores miſit, per meridianam plagam, ut conſiderarent terram & terræ incolas, num pauci numero an multi; fortes an infirmi; ipſa terra, bona an mala; urbes quales, muratæ an abſque muris; humus pinguis an ſterilis; nemoroſa an abſque arboribus. Cum illuc perveniſſent exploraverunt terram undequaque; delati demum eo itinere in Hebron ad torrentem Botri, ubi abſciderunt palmitem cum uva ſua, quam viri duo portaverunt in vecte. Ita omni regione luſtratâ redierunt ad Moſen, dixe-

dixeruntque: Venimus in terram ad quam miſiſti nos, quæ revera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt. At verò Ioſue & Caleb, qui & ipſi luſtraverant, terra, inquiunt, quam circuivimus, valdè bona eſt. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere. Ita omnino Spiritus, quem cæleſtium exploratorem hîc appellamus, mittendus eſt in altum, ut beatorum cęlitum regionem omnem conſideret, voluptates expendat, delitias inveſtiget, nectar & Ambroſiam guſtet, deſtinatum ſibi locum perquirat; cælum omne perambulet, rerum futurarum ac cæleſtium ſit explorator, in ſui ac conſcientiæ bonum. Ita Bernardus ad hoc iter nos erudiens, Spiritus, inquit, à terrenis averſus aſcendat ac viſitet ſupernas ſedes, currat per plateas ſupernæ Sion, audiat melos Angelorum, commendet ſe omnibus. *a* Ita Spiritus cæli peregrinator, tam viſa quam au-

 dita

a Bern. de int. domo c. 12.

dita in cælo recenſeat conſcientiæ.

Verum ad cæleſte hoc iter maximè idoneus eſt Spiritus ſui notitiâ imbutus. Clarevallenſis Doctor iterum monens: Fruſtra, inquit, cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus eſt ad videndum ſeipſum: prius enim neceſſe eſt, ut cognoſcas inviſibilia Spiritus tui, quàm poſſis eſſe idoneus ad cognoſcenda inviſibilia Dei. Et ſi non potes cognoſcere te, non præſumas apprehendere ea, quæ ſunt ſupra te. *a*

Hoc itaque Conſcientiam puram incredibiliter exhilarat, animo frequentius in cælum ire. Et obſecro, Chriſtiani, quis noſtrûm ſeriò poſſit eſſe triſtis, ſi bonam habeat Conſcientiam, & mente ſæpius ad cælum conficit viam! Hebræi exploratoris Calebi verbis hîc utor: Aſcendamus & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. *b* Aſcendamus animo, dum ſequi liceat & corpori. Aſcendamus in regionem viventium. Hanc viam nobis nulla inter-

a *Ibidem.* b *Num. c.*13. *v.* 31.

intercluſerit calamitas. Aſcendendo non fatigabimur. Tamen ſunt, qui deambulationibus ita impensè oblectantur, ut eos magis aurâ quam cibo victitare putes: malunt enim eduliis genium ſuum, quam corpus aſſuetis excurſibus fraudare; ſæpe ad ſecundam, non rarò poſt ſublatam illam etiam menſam iure primùm revertentes. Quid ni ſuæ ſint etiam nobiliſſimo animo, tam arctè, tamque miſerè habitanti decentes evagationes? quid nî quotidianæ, quid nî horariæ? cum & magis expeditæ ſint illis corporeis, minuſque laborioſæ; & quod caput eſt, plus quam dici poſſit, quæſtuoſæ ac ſalutares. Animus ad ardua & excelſa non anhelat, neque laſſatur locorum intervallis. Non enim movetur anima pedibus ait Auguſtinus ſed affectibus. *a* Excurramus, exploremus.

a *Aug. tr. 48. in Ioan. circa initium.*

Caput XVI.

Signa Conſcientiæ bonæ, ſive purgatæ.

Dialis Flamen religionibus obſtrictus porrum non ſolùm non edebat, ſed nec quidem tangebat. Myſterii, dices, an valetudinis cauſſa? utriuſque; maximè myſterii. Porrum inflat, fumos in caput ſubmittit, lacrimas ciet, oculis pernitioſum, nonnunquam & vitæ. Plinius enim Major de porri ſucco commemorans: Fama eſt, inquit, quod Tiberius vocarit Melam Equitem reum ex procuratione, is in ſummâ deſperatione porri ſuccum ad trium denariorum argenteorum pondus hauſit, & confeſtim expiravit ſine cruciatu. *a* Quando igitur ſacerdotis eſt, tam oculis quam intelligentiâ valere, porrum ſacrificulis illis vitandum fuit.

Chriſtianorum Deus, Rex ſummus maximam Sacerdotum ſuorum curam gerens: Quia tu ſcientiam repu-

a *Plin. l.* 19. *Nat. hiſt. c.* 6. *poſt med.*

Digitized by Google

repuliſti, ait, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. *a*

Nobiliſſima eſt ſcientia, quam Deus poſcit ab omnibus; Majores noſtri cordis Scientiam, aut conſcientiam dixere. Hæc officio ſuo rectiſſimè functa creditur, cùm ſeipſum quis noſſe incipit. Porrum appelles mortalem hominum vitam, miſeriis pleniſſimam, lacrimis uberrimam. Iſta ut Gregorius affirmat, á dilectoribus ſuis non ſine luctu agitur, & tamen cum lacrimis amatur. Vbi ergo porrum hoc in delitiis habetur, ubi vita hæc lachrimoſa diligitur, hîc oculi fluentes & ægri, hîc nulla ſui notitia, hîc vera deeſt cordis ſcientia. Qui autem hoc porri edulium cautè fugiunt, acutioris viſûs argumentum edunt. Ita hîc ad ſigna tam bonæ quam malæ conſcientiæ monſtranda progredimur. Et hoc quidem capite ſex ſigna conſcientiæ ſub aſpectum ſubjiciemus.

a *Oſ. cap. 4. verſ. 6.*

SCRI-

SCRIPTURA.

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium Conſcientiæ noſtræ 2. Cor. 1. verſ. 12.

PICTURA.

Quidam ingeniculans, cujus vultus non cernitur; ante ſe Chriſtum habet in botro crucifixum, dextrâ tenet facem, ſiniſtrâ cranium ſpinis coronatum. Ad pedes ſphæra, dextra chelys, lævâ liber apertus.

PRimum Bonæ Conſcientiæ ſignum *Circumſpectio* quam fax ardens indicat. In ſacris voluminibus, homines cautæ ac teneræ Conſcientiæ vocantur *Timorati*. Ita Beatus Lucas de Simeone ſene Chriſtum amplexante: Et homo iſte juſtus, inquit, & timoratus, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus Sanctus erat cum eo. *a* Idem beatiſſimus Lucas humani Angeli juſta funebria deſcribens: Curaverunt, inquit, Stephanum viri timorati. *b* Optimus Pauli magiſter Ana-

a *Luc. c. 2. v. 25.* b *Act. c. 8 v. 2.*

Fol. 236.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Ananias, vir timoratus, ab eodem Lucâ nominatur. Conſcientia cauteriata & ſurda hoc titulo gaudere non poteſt, nec enim circumſpectè aut verecunde agit, ſed ſeipſam incitans: Audeamus hoc, inquit, & rem in caſum demus; quid obſit? Hanc propter viam notans Salomon: ſapiens, inquit timet & declinat á malo; ſtultus tranſilit & confidit. *a* Homo præfractus & audax amuſſim excutit, nequitias comminiſcitur, liberè delinquit abſque metu, & veluti equus cæcus in foſſas præcipitat, nec ante deliberat, caſurus, an non caſurus ſit, ſed in vetitum ruit, prout dictat impetus periculorum & exitii contemptor. At veró ſapiens flectit impetum á flagitio, cautè ac circumſpectè incedit necubi cadat. Bona conſcientia eſt timorata, nec periculum amat, ſuſpenſo graditur pede. Ejus circumſpectionis reverâ Paulus: Nihil, inquit, mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. *b* Etſi purum me à flagitiis exiſtimem, non continuò tamen ſanctimoniam mihi vindi-

a *Prov.* 14. *v.* 16. b 1. *Cor.* c. 4. *v.* 4.

Digitized by Google

vindico. Hæret formido latentium nævorum. Hinc cautelæ ſanctiores.

Alterum bonæ Conſcientiæ ſignum, *Geminata fiducia*, quam Chriſtus ad botrum fixus adumbrat. Ad eam Joannes Apoſtolus Chriſtianos erigens: Chariſſimi, ait, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo. *a* In homine bonæ ac animoſæ conſcientiæ duplex, in aliis quaſi ſimplex conſurgit: nec enim in iis ſolùm quæ ad Deum ſpectant, ſed etiam in rebus humanis quibuſcunque tantam Conſcientia ſuggerit fiduciam, ut ſuum quis hoſtem eligat in judicem.

Cato Major, quod Valerius narrat, aliquoties dicto die in jus vocatus, cauſſam nunquam non obtinuit. In eam demum fiduciam à ſuâmet innocentia eſt erectus, ut cum denuo ad tribunal in judicium publicè vocaretur. T. Gracchum, pro judice poſtularèt, quem conſtabat capitalem eſſe hoſtem Catonis. Fiducia ingens! ſed ſanctior erit ea, ſi quis Chriſtiani ſan-

a *Ioan. cap. 3. v. 21.*

Digitized by Google

ſanguinis Chriſti verbis ſeriò ſe tueri poſſit ac dicere ſuiſmet hoſtibus: Quis ex vobis arguet me de peccato? *a* Vos quidem quotidie actiones meas omnes ex inſidiis arbitramini. Sed enim ſi quid habetis dicere, vos ipſos ſtatuo judices, audacter dicite, non eſt quod parcatis huic capiti. Vos mihi eſſe inimiciſſimos veſtra vobis Conſcientia dicet: Sed effundite fel quod collegiſtis, hoc imbre non terrebitis innocentem. Hac tali fiducia Paulus aſſiduè nixus, præcipuè cum à Tribuno Iudæis ſiſteretur: Viri Fratres, ajebat, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum, uſque in hodiernum diem. *b* Bonæ Conſcientiæ ſignum fiducia.

Tertium, *Serenitas animi & Tranquillitas*, quam Mundi globus ad hominis pedes abjectus ſignificat. De Tranquillitate hac Jobus: Et ſcies, inquit, quòd pacem habeat tabernaculum tuum. *c* Serenum tibi & innube fulgebit cælum, quieto licebit eſſe

a *Io. cap. 8. verſ. 46.* b *Actor. cap. 23.*
c *Iob c. 5. v. 24.*

eſſe intus & læto; pax enim tam alta implebit pectus, ut culeum gallo, ſerpente, ſimiâ, cane, animantibus fartum non ſentias. Xenophon cuidam maledicenti: Tu quidem, mi amice, inquit, maledicere didiciſti, *a* ego autem conſcientiâ teſte, didici maledicta contemnere. Hoc ſedati Hominis artificium eſt, ſentire morſus, ſed neminem remordere.

Sed illuſtrius tranquilliſſimę Conſcientię paradigma præbuit princeps Apoſtolorum Petrus. In Herodis carcere attinebatur, geminis catenis vinctus, utrinque milite ſeptus, capite damnandus, & altero quidem die ducendus, extremo ſupplicio periniendus. Et tamen inter catenas & milites, fatali gladio jam imminente dormit Petrus ſecuriſſimè, tanquam poſtridie ad epulum ſaliare iturus; ipſo facto exhibens, quàm verum illud Salomonis: Non contriſtabis juſtum, quicquid ei acciderit. *b* Thomas Morus, vir ſummus, quaquà illum ſpectes, ſententiâ mortis pronun-

a Du ſingſt wie dir der Schnabel gewachſen iſt. b *Prov. c. 12. v. 21.*

nunciatâ theatrum ferale jam conſcenſurus, quia pedibus laborabat, carnificem affatus: Heus, inquit, mi vir, aſcendenti manum porrige, & greſſum firma; in deſcenſu id opis non exigam. Cúmque carnifex veniam attactus peteret, & imperii faciendi: Ne tu, inquit, ſollicitus ſis; id autem vicem tuam doleo, quòd collum mihi ſit brevius, non ita commodè feriendum. Jamque ad ictum excipiendum paratus: Ego Fratres conteſtor, ait, me & fidelem regi, & ſervum Dei, & in fide Catholica moriturum. Ita flexis genibus, ingemiſcente omni populo & lacrymante cœpit precari: Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam: Pſalmo ad finem recitato, alacriter ſurgens auream monetam ſpiculatori donavit, ſibi ipſe oculos velavit, atque ſic demum lætus cervicem præbuit ſecuri. En quam circumſpecta, & confidens, quam tranquilla eſt bona Conſcientia!

Cum eodem hoc generoſo Martyre Joannes Roffenſis Antiſtes Anglus ſupplicium dedit nocte ante

diem ſupplicii proximâ ſuaviſſimè dormivit in multam lucem, lac mane petiit in jentaculum. Jam ducendus canere cæpit: Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Ita lætus ac hilaris ſupremæ neceſſitati ſeſe attemperavit. Vtrumque hunc tam eruditum quam ſanctum virum ad Gemonias has ſcalas, in lugubre theatrum illud perduxit Conſcientiæ libertas: ſi imperiis regiis, ſed iniquis voluiſſent ſubſcribere, vixiſſent.

Ita prorſus Conſcientiæ probæ ſerenitas nullis adverſorum turbinibus obnoxia, ſed nec morte ipſâ turbatur. Hunc noſtrum aërem magi & anus veneficæ, & mulieres imbrificæ, pluviarum ac tempeſtatum potentes, per magicum murmur imbribus & tonitru ciere poſſunt; tranquillæ conſcientiæ ſerenitatem nec Saga, nec Magus, nec Pharmaceutria, nec præcantatrix, nec venefica, neque trivenefica, ſed nec Diabolorum ulli turbare poſſunt, ſi homo mentis ſerenæ nolit.

Veteris Stoæ placitum fuit: Agnata, & quaſi ſoboles virtutis eſt, gau-

gaudium & ſerenitas mentis. *a*

Quartum eſt, *Modeſta mentis ſecuritas*, quam cranium ſpinis redimitum repræſentat. Diſcipuli Chriſti inter procellas & fluctus maris adverſo vento navigantes, ſupremum ſibi periculum imminere atque agi de vitâ cenſuerunt: at Chriſtus ſecuriſſimè dormivit, quo conſcientiæ ſecuritatem inter grandines, tonitrua, turbines, fulmina expreſſit. Defluat cælum, ruat Orbis univerſus, ſua Conſcientiæ puræ ſecuritas non peribit. Notum illud de pulvinari, cujus emptorem ſeſe Auguſtus Imperator conſtituit. Nam poſtquam audiit equitem Romanum obiiſſe; qui moriens ducenties HS. ſeu, quingenta millia Philippeorum in nominibus habuerit, & ſecurè nihilominus dormire potuerit, pulvillum hominis ſibi emi juſſit Imperator, pellendis curis & ſomno conciliando. Vbi pia Spiritus ſecuritas, illic pulvinar iſtud eſt, quod & argumentum eſt ſinceræ ac candidæ conſcientiæ.

a Vide Lipſii Manuductionem ad Stoicam Philoſophiam l. 3. c. 5.

Sed illud non neſciamus, ô Chriſtiani, Conſcientiam circumſpectè ſecuram eſſe, uti dicere ſolebat Thomas Morus, qui fronte ſerenatâ hilarique vultu ad mortem contendit, & ſuas ſibi exequias ivit, nihilominus pſalmum, pœnitentiæ ſcriptum, recitavit. Ita conſcientia non oſcitans, non negligens, non incurioſa eſt; curat illa rem ſpiritûs, non torpidè ſecura, ſed in periculis & adverſis impavida. Ita Rex David turbarum & diſcriminum ſecuriſſimus cantat: á dextris eſt mihi ne commovear: propter hoc lætatum eſt cor meum. *a* Me ſuſcepit dextra tua, ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam. *b* Cadent à latere tuo mille, & decem millia á dextris tuis; ad te autem non appropinquabit. *c* Ærumnoſus & afflictus homo ſeipſum ſic alloquitur: Quid angeris fruſtrà? Nemo læditur niſi á ſeipſo: Quis eſt qui tibi noceat, ſi bonus æmulatòr fueris? *d* Non eſt in orbe malum, niſi ſolum peccatum. Adverſa non ſunt mala, niſi malis.

a *Pſ. 15. verſ. 8.* b *Pſ. 62. verſ. 9.* c *Pſ 90. verſ. 7.* d *1. Petr. 3. v. 13.*

lis. Tuam cum divinâ voluntate conjungas, & inferorum portæ non prævalebunt adverſus te. O vita ſecura, ubi Conſcientia eſt pura!

Quintum *Hilaritas animi & lætitia*, quam chelys deſignat. Beatiſſimus Paulus latrantem ferebat ſtomachum, corpus veſtimentis malè intectum, livore & vibicibus plenum, lapidum & virgarum veſtigiis inſignitum tergum; ſiquidem ter virgis cæſus, ſemel lapidatus, ter naufragus hoſtibus & inſidiatoribus vallatus, itineribus, periculis, laboribus aſſiduis attritus, ærumnis & afflictionibus exhauſtus, quotidie pæne mortuus, nihilominus exclamat: *Superabundo gaudio.* *a* Seriòne hoc dicit, an joco? Et qui fieri poteſt, ut aliquis in tanta luctus & mœroris copia ſuperabundet gaudiis? Reſpondet pius & vetus ſcriptor: Nemo ſecurè gaudet, niſi bonæ Conſcientiæ in ſe teſtimonium habeat: Habe bonam Conſcientiam, & habebis ſemper lætitiam. *b* Gloria

a 2. *Corinth. cap. 7. verſ.* 4. b *Thomas de Kemp. l.* 1. *de Chriſti imit. cap.* 20. *& l.* 2. *cap.* 6.

ria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *a* Romanus ſapiens Annæus hanc hilaritatem animi ſæpiſſimè inculcans: Hoc, inquit, ante omnia fac mi Lucili, diſce gaudere: nolo tibi unquam deeſſe lætitiam: Volo illam tibi domi naſci; naſcitur, ſi intra teipſum ſit. Animus debet eſſe alacer, & ſuper omnia erectus. Hæc quibus vulgus delectatur, tenuem habent ac ſuperfuſoriam voluptatem. Tu ad verum bonum ſpecta, & de tuo gaude. Quid eſt autem hoc? De te ipſo, & optimâ tui parte. *b* Prædixit Chriſtus: Et gaudium veſtrum nemo tollet á vobis: *c* Gaudium purum, durabile, liquidum, ſincerum. Gaudium quod tolli poteſt, gaudium verum non eſt. Hic obſecro, ſeipſum quivis ſuamque conſcientiam interroget: Dic ſodes, quænam illa ſunt, quæ tibi placent, quæ gaudium & voluptatem pariunt? Num pecunia? poteſt eripi. Num dignitas & grande nomen? poteſt eripi. An opulentum munus & officium?

a 2.*Cor.* c. 1. *v.* 12. b *Seneca epiſt.*23.
Ioan c.16.

cium? poteſt eripi. Num ſuppellex lauta, familia ampla, domus inſtructa? Hæc omnia poſſunt eripi. Num Vxor formoſa, liberi bene morati? poſſunt mori, & morientur. Num Muſica, num venationes, num pictura, num recreationes aliæ? poſſunt auferri hæc omnia, & auferentur. Hæc ergo gaudia prorſus omnia quę tolli poſſunt, gaudia vera non ſunt. Veriſſimum optimumque gaudium eſt, animi Deo ſe oblectantis, & Conſcientiæ ſuâ tranquillitate ſibi gratulantis. Quæ Chryſoſtomus confirmans: Nihil, inquit, ſuavius bonâ Conſcientiâ, bonâ ſpe. *a*

Sextum conſcientiæ bonæ indicium, *Amor lucis & publici* quem liber apertus connotat.

Tecta, ſuſpecta. Eſca operta *b* non properè laudanda.

Aliquis latet error, equo ne fidite
Teucri. c

Cautus enim metuit foveam lupus,
accipitérque,

Q 4 *Suſpe-*

a *Chryſ. tomo 5. hom. 63. mihi pag. 347.*
b Verdeckts Eſſen muß man nicht zu frü loben. *Virg. 2, aeneid.*

Suſpectos laqueos, & opertum milvius hamum. a

Bona Conſcientia nullius oculos fugit: *b* Aperto vivit, & actionum ſuarum teſtem advocat ſolem. Valerius candorem veterum laudans: Maximis viris, inquit, prandere & cœnare in propatulo verecundię non erat, nec ſanè ullas habebant eſcas, quas populi oculis ſubjicere erubeſcerent. Erant autem adeò continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus quam panis eſſet, *c* Certiſſimam hac in re Chriſtus regulam tradens: Omnis, inquit, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem. *d* Cur obſecro rem omnium amœniſſimam habet exoſam? Vt non arguantur opera ejus. Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus. *e* Hinc bonæ mentis homo conſcientiæ rimulas omnes aperit ei Sacerdoti, cui eam committit perſanandam: Si poſſet, veluti librum explicatiſſimum propone-

a *Horat ad Quinctium l.* 1 *ep.* 16. b *Hier. epiſt.*47. c *Valer.l.*2 *c.*1. d *Ioan.cap.*3.*v.* 20,*& ſeqq.*

Digitized by Google

poneret, in quo non ſolùm voces ſed & ſyllabas, & characteres, ac literulas, ſed & ipſa punctula eſt videre.

Qua de re Seneca eximiè philoſophatus: Tunc, inquit, felicem te eſſe judica, cum poteris in publico vivere, cum te parietes tui tegent, non abſcondent, quos plerumque circumdatos nobis judicamus, non ut tutiùs vivamus, ſed ut peccemus occultiùs. Rem dicam, ex qua mores æſtimes noſtros, vix quemquam invenies, qui poſſit oſtio aperto vivere: janitores Conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit. Ita vivimus, ut deprehendi ſit, ſubitò aſpici. Quid autem prodeſt recondere ſe, & hominum oculos aureſque vitare? (Dei non poſſimus cernentis & audientis univerſa) Bona Conſcientia turbam advocat, mala etiam in ſolicitudine anxia eſt. Si honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant; ſi turpia, quid refert neminem ſcire, cùm tu ſcias ò te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem! *a* Livius Druſus domum habuit omnium pro-

a Lipſius in monitis polit l. 1. v. 7.

proſpectui patentem. Huic architectus promiſit quinque talentis, ſeu tribus millibus Philippeorum, ita mutaturum ædes illas, ut neminis conſpectui paterent. Cui Druſus; mi Magiſter, inquit, ſi quid in te artis, decem à me talenta accipe, & meas ædes ita conſtrue, ut nullius inſpecturi oculum excludant; ſciant omnes, quid ego domi meæ faciam. Nimirum qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus. Bona Conſcientia aperto vivit oſtio, & turbam advocat. Ita luculentum Conſcientiæ bonæ argumentum eſt, Lucis & publici Amor. Quiſquis hæc ſena in ſe ſigna, aut ſaltem aliqua deprehenderit, ſtet animo, bellè eſt ejus Conſcientiæ. Conſcientia ut os populi cæleſtis mereatur, ſit Circumſpecta, Confidens, Tranquilla, Secura, Hilaris, & lucis cupida.

Caput XVII.

Signa Conſcientiæ perverſæ.

PHiloſophus è porticu, Diogenes dicere ſolebat, fieri non poteſt, ut

fol. 251



Digitized by Google

* BIBLIOTECA NAZ. * VITTORIO EMANUELE * ROMA
Digitized by Google

ut animus præſens, acer, & armatus ſit, niſi ſibi nullius facinoris ſit conſcius. Quo ſignificabat animum fractum, languentem, perturbatum, pavidum, puſillum, malæ Conſcientiæ eſſe ſupplicium. Ita prorſus eſt: Animus altus ampluſque, magnus excelſuſque & pura Conſcientia, optimi ſunt amici & plerumque in unâ ſede morantur: quemadmodùm animus æger afflictuſque & læſa Conſcientia ſub eodem ferè tecto, in uno plerunque ſtabulo reperiuntur. Pavor & perturbatio Conſcientiæ contaminatæ ſunt ſigna. De iſtis ſex ſignis hoc capite agendum, uti proximo actum de ſignis conſcientiæ bonæ.

SCRIPTURA.

Arguet te malitia, & averſio tua increpabit te. Hier. c. 2. v. 19.

PICTURA.

Extincta fax ſuper foraminoſo cribro; Globus Mundi, juxta lepuſculus & aviculæ; liber clauſus, inſidente noctuâ in virga viſcata:

PRimum, inquinatæ Conſcientiæ ſignum, *Inconſideratia*. Deus olim

de

de populo Hebræo maximè querebatur & ſæpiſſime, quòd adeò incogitantes, incauti, homines nullâ cogitatione, cæci ruerent in vetitum nefas: Gens, inquit, abſque conſilio eſt, & ſine prudentiâ. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent. a Vtinam vel tandem oculos attollerent ac caperent, quam infanda ſit audacia, Deum offendere, quanta peccati vel unici ſit gravitas ac fœditas, quam neque geminata mors, neque inferorum cruciatus æterni unquam poterunt expiare. Ideò Alexander abbas juveni cętera bono, ſed languido & deſidioſo in os objiciens: Si ſollicitè, inquit, cogitares regnum cælorum & cruciatum æternum in cellâ tuâ, acediam non ſentires. Nimirum iis otium eſt moleſtum, & horæ videntur longæ, qui annos æternos in mente non habent, & ideò diem decipere, tempus ſermonibus fallere, & otium ſteriliſſimis nugis conſolari ſtudent. Neque mos iſte, neque hoc ingenium eſt bonæ Conſcientiæ. Habet ea ſemper boni ſanctique

a *Deut. c. 32. v. 28.*

ctique aliquid quod conſideret. Accuratè, prudenter, cogitat atque agit omnia, & legem illam unicè obſervat: Prius expende, quam aude. *a* Idcircò hic idem, quem dixi, Alexander abbas ſeipſum identidem extimulans ad progreſſum: Quanta, inquiebat, erit confuſio tua, cum cæteri coronabuntur, te rejecto. *b* Non ante actioni, quam cogitationi facienda ſubjiciens, nil antè auſus, quam præmeditatus. Conſiderata & circumſpecta eſt bona conſcientia, ut ſuprá demonſtratum: inconſiderata, imprudens, & immeditata eſt mala conſcientia.

Videte concilium in caput Chriſti convocatum. Cogitaverunt autem, principes Sacerdotum, inquit Ioannes, ut & Lazarum interficerent. *c* Aſpicite homines cæteroqui ſapientiſſimos, quam inconſideratè, quam ſtultè conſultent. Lazarum cogitant interficere, ut ſummam Chriſti auctoritatem imminuant; Miraculum revocati ad vitam Lazari nec negare nec

a Ehe wigs / dann wags. b *Io. Moſchus* 142. c *Ioan.* 12. 1[illegible].

nec poterant occultare. Ergo, ajunt, interficiamus illum. Mi Deus, qualis hæc conſcientia? Auguſtinus inconſideratam hanc atque fatuam conſultationem doctiſſimè irridens: Videte, inquit, quid invenerunt. Lazarum interficere cogitaverunt. *a* Stulta cogitatio, & cæca ſævitia! Dominus Chriſtus, qui ſuſcitare potuit mortuum, non poſſet occiſum? (*An eorum nemini hoc in mentem venit?*) Quando Lazaro inferebatis necem, nunquid auferebatis Domino poteſtatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occiſus? Ecce Dominus utrumque fecit, & Lazarum mortuum, & ſeipſum ſuſcitavit occiſum. *a*

Hæc autem Conſcientia perverſa conſiderare non ſolet, quod face adumbravimus mortuâ. Prima illius nota, ſignum primum eſt Inconſiderantia.

Alterum, *Temeritas & laxitas*, quam pertuſum ac perforatum cribrum oſtendit. Pravæ Conſcientiæ homo in omnibus ſuus ipſe Pontifex eſt, religione ſe liberat, legiſque gra-

a *Aug. tract. 50. in Ioan. fine.*

gratiam ſibi ipſe facit ad lubitum. Perinde, ut Lupus, (quod Apologi narrant) qui accuſatus eſt maximæ ſtragis in pecore, maximè terrâ editæ. Doluit reus, & pœnitentiam pollicitus eſt ſeriam. Decretum ergo à Curiâ: Hæc mulcta ei eſto: Omni omnino pecore quod terrâ occurrerit, abſtineat; ſi quid aquis fluvialibus expiſcatus fuerit, ſuum habeat. Hîc infelix mæſtiſſimas cogitationes volvens: Quid agam, ajebat ipſe ſibi. damnatus ad extremam pauperiem; fame pereundum erit. Dum hæc anxius ſecum agitat, videt porcum in lacunâ ſeſe volutantem: Et, hæc quidem aqua, inquit, non eſt fluviatica, ſed jura ſunt amplianda. Mox porcum invaſit, & ſuum fecit lacerando, ac devorando. Ita prorſus Conſcientia laxa & perverſa ſecum ratiocinatur: Hodie quidem eſurialis dies eſt, ſed piſces ne mihi incommodent, cautio ſit; inſuper & ſtomachus dolet: Cæno igitur, nam jura ſunt amplianda. Pari modo temeraria & laxa Conſcientia philoſophatur: Hodie quidem dominica aut feſta dies

eſt,

eſt, rem divinam & concionem frequentare lex jubet. Sed quid tum? una hirundo non facit ver, una concio neglecta, piaculum exile. Jura ſunt amplianda. Euge; mea Conſcientia, ſic perge, ita proficimus.

Eodem modo datur exceptio. Hoc quidem quod accipio, meum non eſt, ſed hunc hominem tam avarum, quam opulentum compilare quid flagitii eſt? jura ſunt amplianda. Simillimum eſt iſtud lupi ſeu Conſcientiæ pravæ vaframentum: Omnes quidem libidines ſexto decalogi præcepto prohibentur, ſed paulò liberiùs jocari, oculis licentiùs exſpatiari, manum humaniùs extendere, quid refert? Cogitationes à teloniis immunes ſunt, ſive, quod alibi Vlpiani verbis diximus: Cogitationis pœnam nemo patitur. Jura, præſertim ſtricta, ſunt amplianda. Non impar laxitas Conſcientiæ eſt iſta: Omnes quidem faſtum, ſuperbiam, ſuperfluum corporis cultum damnamus, ſed mundis uti veſtibus, quid vetat? Jura ſunt amplianda. Ad hunc omnino modum vacationem legis laxitas Conſcientiæ ſibi ipſa

per-

Digitized by Google

permittit in aliis ſexcentis. Verum quidem eſt, ajunt, hæc legis eſſe verba; ſed littera occidit, Spiritus vivificat. Summum jus ſumma injuria; nec legi nec juri contradicimus, ſed jura eſſe amplianda contendimus: Colaphus innocenti impactus mulctam pendat, mendaci ſit in præmium. Vrbana & hilaris temulentia in amicorum gratiam leges divinas non violat, jura ſunt amplianda. Hujus generis innumera ſunt. O mi lupe, legis & jurium obſervantiſſime, quam pulchrè leges & jura interpretaris? Lupinum hoc ingenium profectò etiam Rex David induerit, cum de ſolario domùs regiæ in fœminam lavantem oculos conjecit, ita ſecum ratiocinatus: Ego quidem ſatis uxorum habeo, ſed illa Vriæ mihi ſingulariter placet, hanc volo, Betſabeam amo. Quis regi vertat vitio liberiores has nuptias, hoc tale connubium? Ite, adducite illam. Hactenus Vriæ fuerit, nunc mea erit uxor.

O David, David non ita tibi amplianda ſunt jura; leges divinæ non ita largiter explicandæ; nec reges

quidem ſeipſos religione excipiant. Hæc nimia Conſcientiæ & laxitas & temeritas eſt.

Tertium pravæ Conſcientiæ ſignum. *Inquies & perturbatio*, quam mundi ſphera denotat. Homini malo non licet eſſe quieto. Aſſiduæ illum furiæ inquietant, exercent, vexant. Minatur olim Hieremias vates: Arguet te, inquit, malitia tua, & averſio tua increpabit te. *a* Certiſſimum, quod ſuprà diximus, malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit. *b* Non minus eleganter ac venuſtè Arbiter: Dii Deæque, ait, quam malè eſt, extra legem viventibus! quicquid meruerunt, ſemper expectant. *c* Nec aliter nos erudiunt ſacri codices noſtri; & cauſam reddit ſapientiæ liber his verbis: Semper enim præſumit ſæva, perturbata Conſcientia. *d* Qui ſe ipſum alicubi includit, clamat, tundit, pulſat dum liberetur: Ita is quem vinxit Conſcientia, non quieſcit, dum vinculis illis eximatur.

Hoc

a *Hierem. c.* 2. *v.* 19. b *Seneca epiſt.* 81. c *Satyricon Arbitri.* d *Sap. c.* 17. *v.* 11.

Hoc Tullius perſpicaciſſimè advertens: ſua quemque fraus, inquit, ſuum ſcelus, ſuum facinus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ faces, hæ flammæ. *a* Virgas & flagra ſibi colligat homo improbus, quibus cædatur. Inquietiſſimam hanc Conſcientiæ perturbationem Hieremias vaticinatus: ſervietis, inquit, ibi Diis alienis die ac nocte qui non dabunt vobis requiem. *b* Dii prorſus alieni, affectus vitioſi. Pax nulla eſt, ubi talium Deorum multitudo imperat.

Quartum pravæ Conſcientiæ ſignum *Pavor & trepidatio* quam lepuſculus vel leviſſimo ſtrepitu territus adumbrat. Nil certè timidius malâ conſcientiâ. Notum Mauritii Cæſaris dictum de Phocâ milite: Si timidus eſt, homicida eſt. Quod Nicetas Choniates ſcitè confirmans: Timida res eſt, inquit, improbitas, ac ſuopte teſtimonio convincitur, & arguente Conſcientià nil boni expectat. ſuam ipſius umbram exhorret homo in-

a *Cicero orat. in Piſonem.* b *Hier. cap.* 16 *verſ.* 13.

inquinatæ conſcientiæ. E vobis quæro, triſæcliſenes; audiſtiſne unquam, folii ab arbore lapsu, vulneratum hominis caput? Et tamen folium volans Conſcientiam malam exterret, quemadmodum ſuis prædixit Moſes, dabo pavorem in cordibus eorum. Terrebit eos ſonitus folii volantis, & ita fugient quaſi gladium; cadent nullo perſequente. a

Geneſeos Hiſtoria de Caino refert; Poſuitque Dominus in Cain ſignum. Quærunt hîc docti: qualenam hoc ſignum fuerit: Rabbini veteres ajunt fuiſſe canem ſemper præcurrentem, qui veluti præconis loco diceret: Carnifex & morticinorum tribunus eſt Cain; Fratrem occidit. Alii frontem ſtellantem, & Cainum fuiſſe ſtigmaticum cenſent. Alii ſeveriorem & triſtiorem vultum ſeu vultuoſam triſtitiam, id extitiſſe ſigni cenſent: Plerumque omnes totius corporis tremorem deſignari, & Cainum ut populum nigrum tremuiſſe cenſent. Hinc ille de ſe ipſo timidiſſimè; Omnis, inquit, qui invenerit me, occidet

a *Levit. c. 26. v. 36.*

det me. *a* Mi Deus, in toto terrarum Orbe nullus præter ipſum & parentes fuit, quem ergo timet? ſeipſum ſuamque umbram. Hoc nempe ſollenniſſimum eſt peccato, peccantis auriculæ tintinnabulum aut nolam appendere, quæ uſque, & uſque tinniat, & hominem nonnunquam adigat pæne ad inſaniam. Ideò ſi roges Chryſoſtomum, quid ſit peccatum? Conſtanter dicet: Peccatum eſt ſpontanea inſania, voluntarius dæmon.

Ergo Conſcientiæ malæ, ut Tertullianus loquitur, comes perpetuus eſt pavor. Nullum enim malefici-um ſine formidine eſt. quia nec ſine Conſcientiâ ſui. Non minus Chriſtianè quam ſapienter dixit Annæus Philoſophus: Poteſt nocenti contingere ut lateat, latendi fides non poteſt. Quia latendi etiamſi felicitatem habent, fiduciam non habent. Quia tuta ſcelera eſſe poſſunt, ſecura non poſſunt. *b* proprium ergo eſt nocentium, trepidare.

Ægyptiis in more poſitum fuit, eum parentem, qui filium occidiſſet,

 cogere

a *Gen. c. 4. v. 15.* b *Seneca ep. 97.*

cogere ut triduo necati à ſe filii cadaver aſpiceret. Levis mulcta, ſed ſupplicium grande parenti. Rea Conſcientia ſuum mortuum, delictum ſcilicet ſuum, aſſiduè cogitur aſpicere, dum mortuus revocetur ad vitam. Hebræus Rex clamat: Peccatum meum contra me eſt ſemper. *a* Ejus non poſſum obliviſci quod feci; Antigrapheum & antagoniſtam meum conſcientiam meam, ſemper in oculis fero. Odi quod feci; in amaritudinem tranſiit quod credebam eſſe voluptatem. Fel eſſe meriſſimum deprehendo, quod Hyblæum mel judicabam.

Quintum malæ Conſcientiæ ſignum *Anguſtiæ & afflictio* quam aviculæ viſco hærentes repræſentant. Clariſſimè beatus Paulus: Tribulatio, inquit, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum; gloria autem & honor & pax omni operanti bonum. *b* Homo vitiis aſſuetus eò devenit, ut Deum cum ſuâ conſcientiâ, non verò ſuam conſcientiam cum Deo velit eſſe conformem:

a *Pſ.50.* b *Rom.c.2.v.9.*

mem: Cuperet ſanè pulchrum videri Deo, quicquid ſibi ſuæque pravæ conſcientiæ pulchrum eſt: Exiſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis. a

Abſurdorum abſurdiſſimum ſit, ſi in editâ turri curator horologii cupiat ſolem reſpondere ſuo horologio, non autem horologium ſuum ſoli: perverſa res eſt, & ordo planè præpoſterus. Contrarium fiat. Protoplaſti homines exiſtimarunt ſeverius illud edictum, de arbore ſcientiæ Boni & Mali non libanda, vel abrogandum, vel certè mitigandum, ideò pomum formoſiſſimum liberius decerptum avidis dentibus non negarunt. Ah, miſeri! carò nimium ſtetit unicus hic morſus, & impendio voluptas neutiquam reſpondit. Mox tribulatio & anguſtia, mala ſimul omnia catervatim in gentem humanam irruerunt. Vix enim infixus pomo morſus, continuò erubeſcunt; tegunt, fugiunt, pudent, dolent, nollent factum. Hanc illis anguſtiam & tribulationem læſa conſcientia peperit. Verè ſpontanea inſania, voluntarius dæmon eſt peccatum.

a Pſ. 49. v. 12.

Horrendum illud, quod Regum faſti commemorant. Sennacherib homo blaſphemus, qui Regem Ezechiam Regum optimum in anguſtias adduxit, & immenſo exercitu depreſſum ivit, mox ipſe nimium quantum depreſſus, ſicam corpore ſuo excepit, quam in aliam exacuit. Nam ubi deleto exercitu ſuo ſalutem fugâ infami quæſiit, domumque rediit, à ſuiſmet filiis duobus interfectus eſt. Cúm adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, ait ſcriptura, Adramelech & Saraſar filii ejus percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum. *a* En Nemeſin Conſcientiæ peſſimæ atrociter inſultantem! Filii jugularunt Patrem, & in ipſo quidem templo, quod hominibus facinoroſiſſimis aſylum eſt, & in ipſo idololatriæ ſcelere; (*Dum adoraret*) Commiſſa cæde fugerunt filii, ut aliqua inter patrem & filios eſſet communicatio calamitatis. Ita peccatum vindicatum peccato. Quod Paulus epiſtolis luculenter docuit. Qui, ubi Timotheo ſuo præcepiſſet:

a 4. *Reg. c.* 19. *v.* 27. *fine.*

cepiſſet: Milites bonam militiam, habens fidem & bonam Conſcientiam, addit: quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi ſatanæ. *a* Et à Societate piorum repuli. En neglectus conſcientiæ proximus eſt gradus ad ſeceſſionem & transfugium. Quapropter nemo miretur, ſi aliquem à religione turpiter defeciſſe audiat: Indaganti cauſſam conſtabit, prius conſcientiam quam fidem ab illo deſertore repudiatam aut neglectam. Nam ubi quis incipit non ampliùs cælum, non inferos, non hominum noviſſima, ſed carnalia, ſed luparum formas, & pudenda ſpectacula meditari; ô ſalve, & vale, mi homo! conſcientiæ neglectum comitabitur religionis propudium: jam antigraphei tui contemtor es, brevi fœdifragus eris, & transfuga. Naufragabis à fide, navigium tuum impingens ad ſcopulum. Conſcientiæ neglectus eſt certus morum & ſæpe religionis ſcopulus. Qualia naufragia! Hinc

 anguſtia

a 1 *Tim.* 1. *v.* 19.

anguſtia & tribulatio in omnem animam hominis operantis malum.

Sextum malæ Conſcientiæ ſignum, *Odium lucis & publici*, quod Noctua libro clauſo inſidens ſignificat. Nequitia tenebras amat; Bona conſcientia prodire vult & conſpici. Diximus: Omnis qui malè agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus. Bona conſcientia neminem rejicit inſpectorem, nullum fugit judicem, omnes ſui arbitros admittit: Conſcientia mala tam inſpectores, quam arbitros & judices formidat.

Si cadaver venuſtatis aliquid aut gratiæ haberet, non ita ſtudiosè totum tegeretur. Vix homo expirat, mox ſtrophio velatur vultus. Quid ita obſecro? Quia plurimum mutatus ab illo, jam pallet, livet, terret, venuſtatem omnem exuit. Ita prorſus, quia Conſcientiæ perverſæ conſilia & facta ſunt mortua, ideô illa Strophiolo candido velat, panno tegit Holoſerico. Quid Theſauri ſub hoc involucro? Fœtens mortuus.

Job princeps Huſtæus, optimæ conſcientiæ, obtrectatoribus ſuis inſultans:

ſultans: Si abſcondi, ait, quaſi homo peccatum meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam. a Dicti Chryſoſtomus intrepres: Rectè factorum, inquit, nullum teſtem quærebat, erratorum cunctos eſſe conſcios optabat ſciens peccata confeſſione deleri, ideò noxas confeſſus publicè. Sed nec aliter rex Sionis David: Injuſtitiam meam, inquit, non abſcondi. Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino. Illo ævo genus fuerat publicæ confeſſionis, oblatio pro peccatis. Hinc vitio datum Abſcondere, diſſimulare, nec erroris nec doloris indicium monſtrare. Rex impius Saul dolenti ſimilis, ſed longè aliter quam David: Peccavi, ait. Optimam hanc vocem peſſimè corrupit iis, quæ addidit: Sed nunc honora me coram ſenioribus populi mei. Se peccaſſe non negat, ſed videri talis recuſat, Abſcondi & diſſimulari vult, quæ deliquerat. Signum evidens Conſcientiæ non leviter inquinatæ. Hæc etenim cùm ſit inconſiderata, temeraria,

&

a *Iob. c.* 31. *v.* 33.

& in vitia flecti cerea, non ſuſtinet lucem, conſiliorum ſuorum arbitram: Tenebras & noctem pro regumento habet.

CAPUT XVIII.

Bonæ Conſcientiæ multiplex fructus.

MIrabiles ſanè lectos & lecticas in Braſilia reperio, ſi fides hiſtoriæ recenti. Cùm enim Braſili nocentibus ac venenatis animalibus abundent, lecti vicem ſuſpendunt rete, quod terram non contingat, in hoc dormituri decumbunt, admittuntque ſomnum ſic in aere ſuſpenſi. Hoc eorum lectus penſilis & lectica. Ita nullis expoſiti ſunt virulentis beſtiolis, & molliùs cubant, quam quorum ſomnus ſcamnum pro culcitra habet. Bona Conſcientia non mollis ſolùm, ſed & ſecurus eſt lectulus, quamdiu quis huic indormit, tamdiu ſeſe à peſtiferis orci belluis facilè defendit. Quà ratione Conſcientia tam bona quàm mala ſit noſcenda, quæ utriuſque ſint ſigna, diximus, ſupereſt, ut bonæ Conſcientiæ fructus & emo-

fol. 269.



Digitized by Google

emolumenta præmiſſis ſcripturâ & picturâ exponamus.

SCRIPTURA.

Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in Conſcientia. Eccli. c. 13. v. 30.

PICTURA.

Menſa, in qua teſtudo inſidente citada: Speculum ad parietem pendens: ſcutum menſæ acclinatum: Tabulæ Moſis cum palma: Galea apta redimita lauro, & apiculæ pervolitantes eam.

PRimus bonæ Conſcientiæ fructus, emolumentum primum eſt *Solatium in omnibus adverſis maximum*, quam teſtudo notat. Salomonis effatum jam ſuprâ produximus: Secura mens quaſi juge convivium. Nunc opportunius explicandum. Fingamus animo convivium longè lautiſſimum & voluptatis ſummæ. Sint primò fercula multò ſelectiſſima. Æſopi patina, cerebrum Jovis, Ambroſia. &c. Sit deinde vinum dominicum, Opimia-

mianum centum annorum, Creticum, Falernum, nectar merum, quale nec ſuis convivis poſuit Aſſuerus. Sint tertiò amici primæ admiſſionis optimi, jucundiſſimi. Sit quartò confabulatio multò ſuaviſſima. Nam ſine hac nec cibus nec potus ſapit nec amicitia. (Deſit ſermonis hilaritas, convivæ veluti boves muti ad præſepe ſtabunt.) Sit ergo tale convivium, in quo lætitia & voluptas imperet. Fieri quidem poteſt, ut vel negotia vel litteræ interveniant, quæ aliquid abſynthii huic ſaliari menſæ miſceant, nihilominus Modimperator: Vivamus, inquit, hilariter & arrepto poculo. Te poſco, cognate; Non aufugiet, qui nos exſpectat, labor; cras videbimus. Vivamus hodie. Sed ah, quantillum eſt illud Hodie? Summum diecula dimidia. pòſt omnis illa convivalis hilaritas in plumis & pulvillis ſepelitur. Quid ſi ea duraret hebdomadem, quid ſi menſem, quid ſi annum dimidium, quale fuit Aſſueri? quid ſi duraret annum integrum? & quidem eodem gaudii ac voluptatis tenore? ſemper recens & abſque ullo

nullo faſtidio? At qui revera tale convivium eſt Conſcientiæ tranquillæ. Hic cibi ſunt exquiſitiſſimi, tot honeſtæ actiones, tot virtutum officia peracti labores jucundi. Hîc vinum eſt dominicum, charitas ſeu gratia Dei, lætificans cor hominis. Hic amicorum intimi, fidiſſimi, Chriſtus & beati Angeli. Hîc orationes fervidæ, amiciſſima ſunt colloquia. Nihil hîc deeſt, quod faciat ad ſinceriſſimam animi voluptatem. Convivia illa diaria, initio famem habent & appetentiam; faſtidium & nauſeam in fine: incipiunt gaudiis feſtiviſſimis, ſed ſæpe triſtiſſima illorum eſt clauſula. At convivium Conſcientiæ ſibi ſemper ſimile eſt, dies noctesque durat, perpetuum eſt, gaudia illius finem neſciunt, juge convivium eſt.

Rex Ezechias mortifero morbo affectus, & tamen convivatus. Obſecro Domine memento, quæſo, ait, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te, fecerim. a De menſa ſibi regiâ non gratulatur, ex ea

a 4. *Reg.* c. 20. v. 3.

ea nil ſapit, ſed bona Conſcientiâ lætatur, illius fruitur delitiis. Paulus afflictiſſimus, jamque ſemimortuus, tamen velut lautiſſimam accumbens menſam: Bonum, inquit, certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. En tanquam temulentus loquitur, & addit: In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die. *a* Paulus plagis opertus, ærumnis cinctus, omnibus tamen lætitiis incedit, jubilat, exſultat gaudio. Nimirum hæ ſunt cupediæ, hi miſſus delicati, hæc ſcitamenta Conſcientiæ tranquillæ; hoc Jovis cerebrum, hoc vinum regium, hoc creticum & Falernum, hîc Chriſtus & Angeli epulares amici. Super omnia convivii hujus continuatio eſt, vivaciſſima beatitudinis æternæ prægustatio. Hîc ſe curè agitur, hîc molliter cubatur, hîc ſuaviter dormitur: Huc animalculis venenatis non eſt acceſſus. Res liquet. Nec Marco Tullio id ignotum, qui de purioribus his ſolatiis mentionem injiciens: Conſcientia rectæ voluntatis, inquit,

a 2 *Tim. cap.* 4. *v.* 7.

inquit, maxima conſolatio eſt rerum incommodarum. *a* ſeu, quod nos aſſerimus, ſolatium in omnibus adverſis maximum. Juge convivium, bona Conſcientia.

Alter bonæ Conſcientiæ fructus: *Oraculum eſt in dubiis minimè dubium* velut ſpeculum, quod inſpicienti manifeſtat ignotos nævos, oris aut frontis. Si quid olim cauſſarum aut litigii gravioris fuerat Hebræis, ejus deciſio per Moſen ab oraculo petebatur. Quod divinæ litteræ hiis verbis aſſerunt: Omnis populus, qui habebat aliquam quæſtionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis, extra caſtra. *b* Hic Moſes Numinis conſulta, & conſtituta religionum petiit, & abſtulit decreta ſuper omni dubitatione, cui ipſe reſpondere non potuit. Loquebatur enim Dominus ad Moſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. *c* Hic facilis erat interrogatio, quia explicata fuit reſponſio. Tabernaculum nobis inſtruxit Deus conſcientiam noſtram,

S hic

a Cic. l. 6 famil. ad A. Torquatum. b *Exodi c. 33. v.* .. c *Exodi ib. v. 11.*

hîc omnium pœnè dubitationum poteſt fieri deciſio bonâ fide & abſque dolo malo. Quoties cogitatione pendulâ hæremus, anxii & incerti, quid agendum: Recurre ad tabernaculum tuum, Conſcientiam tuam interroga. Multa facimus, in quibus ipſi nobis belliſſimè ſatisfacimus, quia parum expendimus agenda, nec ſuâ res trutina examinamus. Recurre igitur ad tabernaculum, interroga Conſcientiam. Mille millia verborum temere profundimus quotidie, & alterius damno frequentiſſimè: inſuper etiam defendimus. Recurre ad Tabernaculum, Conſcientiam interroga, an non his dictis alterum confoderis? Interroga & reſponſum audi, non ut Pilatus, qui quærebat, Quid eſt veritas. *a* & dum quærebat, ſermonem abrumpebat, & foràs progreſſus reſponſum amputabat. Graviſſima olim querela fuit Numinis de populo Hebræo, quem Iſaias, Dei perſonam induens, ſic arguit: os meum non interrogaſtis. *b* Conſcientia noſtra, os Dei, hoc ore nobis reſpondet Deus, ſed

a *Io.* 18. *v.* 38. b *Iſ.* c. 3. *v.* 2.

ſed in abdito, & oraculis arcanis.

Tertius fructus, Conſcientia Bona *Firmamentum in proſperis eſt tutiſſimum.* quod monſtrat ſcutum menſæ appoſitum. Fortunæ blandienti quis fidat? At ubi fideliter ſincera eſt Conſcientia, pes providus, ſi non conſtanter figi, ſaltem tutò poni poteſt. Mox enim aderit Conſcientia & documenta ſuggeret in hunc modum: Etiamſi hæc & hæc & hæc etiam perdas, non ideò infelix eris. Multos jactura rerum ditavit. Eruditum lucrandi genus eſt, perdere. Omitte queſtus, & tuis te neceſſitatibus attempera. ſic non ſolùm miſer, ſed & felix eſſe diſces. Utrumque in tuum commodum. Utcunque res cadant. divitias tu tuas non amittes. Quod Siracidæ tutò credes aſſirmanti: Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in Conſcientia. *a* Quod Siracidæ monitum Bernardus pulcherrime diducens & explicans: Nihil eſt jucundius, inquit, nihil tutius bonâ Conſcientia. Premat corpus, trahat Mundus, terreat Diabolus, illa erit ſecu-

a Eccl. c. 13. v. 30.

ra. *a Nihil ditius.* Argentum, Aurum, gemmas pretio longe ſuperat bona Conſcientia. Divitias Chriſtus ſpinas vocavit, non ſolùm quia innumeris pungunt ſollicitudinibus, ſed etiam quia ſæpius malis artibus comparantur. Cui enim Vibrans & acre pronuntiatum Hieronymi ignotum? Omnis dives, aut iniquus ipſe, aut iniqui hæres. *b* Opes igitur & divitiæ ſunt ſpinæ; nil autem ditius bonâ Conſcientiâ. Simul etiam. *Nil tutius*; Veteri poëtæ, Murus eſt aheneus; nil conſcire ſibi. In præcelſa rupe decumanos maris fluctus & mæſtiſſima nauſragia tutis ſpectare licet: ita bonæ conſcientiæ homo tam iratam quam blandientem fortunam infra ſe deſpicit, ridetque ſtultas mortalium lacrymas, qui de obolo, aut de lana caprina digladiantur, & victi deplorant damnum. Ajunt baccas è cochleis margaritiferis longè terſiores ac lucidiores fieri ſub ſtercore columbino: Bona Conſcientia Margarita lucidiſſima, in rebus pro-

a Bern. de int. domo cap. 22. b *Hieron. ad Hedibiam ep. 1.*

Digitized by Google

proſperis ſplendet, in adverſis ac turbidis ſplendorem non perdit, ſed auget, velut exaluminatus unio. *a* Talis beatus Paulus: Confidimus, inquit, quia bonam Conſcientiam habemus, in omnibus volentes bene converſari. *b* Non ſolum autem Conſcientiâ bonâ nil ditius, nihilque tutius, ſed etiam nihil jucundius, quia convivium inſtruit perpetuum, & quidem quale Iſaias depinxit; convivium pinguium, convivium medullatorum, convivium vindemiæ defæcatæ. *c* Defæcata verè vindemia eſt Conſcientia: non hîc vinum alienigena, non fugiens, non vappa, non exoleſcens, non marcidum, non aceſcens, ſed generoſum, ſed meracum, ſed defæcatiſſimum ponitur. Hîc ſuave prorſus eſt convivari.

Quartus fructus: Bona Conſcientia Norma, lex & præſcriptum eſt agendorum omnium, quod tabulæ Moſis connotant. Principio ſcriptionis hujus diximus, nunquam licere contra

a Wie ein haitters ſchön s fein Perlein.
b *Hebr. cap.* 13. *v.* 18. c *Iſ. cap.* 15. *v.* 6.

ſcientiam agere. Huic legi quam Deus pectoribus noſtris inſcripſit, fideliter parendum eſt in omnibus.

Sed objicias; Quid ſi erret Conſcientia? Ajo; nec errantis quidem dictamini contrarium facere, permiſſum. Exemplo, quod dicitur, monſtramus. Eſt cui conſcientiæ lex dicat: Eo die quo Corpus Domini ſumis, non licet tibi in terram expuere. Errat profectò hæc Conſcientia, ſed ille, qui eam habet, dum habet, obligatur, non repugnare, adeoque in terram non expuere. Sed longè rectius hic fecerit, ſi falſum hoc conſcientiæ dictamen penitus excluſerit, & ipſe ſibi dixerit: Nullum eſt peccatum, illo etiam die, quo ſumpta eſt Euchariſtia, humum deſpuere.

Quapropter quod nativæ huic luci ac notitiæ, huic legi domeſticæ ac regulæ contrarium eſt, id malum & peccatum eſt. Quod ſupra ſæpius, hoc ipſum hîc ingerimus: Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*a* Ad ſciathericum hoc Horologium. *b* noſtræ actiones omnes ſunt moderandæ, gno-

a *Rom.c.14. v. 23.* b Compaß.

gnomon *a* illius ordinario progreſſu non errat, niſi horologium ſit perturbatum, quod non adeò infrequens eſt. Nam Horologio huic idem nonnunquam evenit, quod paganis illis, quæ imperitus faber ferrarius aut æditimus, vel ſacriſta ruſticanus indoctâ manu dirigit & curat. Ita certè conſcientia ex ſe non fallax, non maleſuada, non imprudens aut præcipitans, ſed ſæpe curatorem habet indoctiſſimum qui vitioſis ſcatet affectibus, qui ſe neglecto ſatagit in alienis. Et hinc iſtius horologii errores & deliria, hinc imperita Conſcientiæ dictamina. In culpa eſt non ipſum Horologium, ſed ipſius curator. Abſint tot affectus pravi, & gnomon Horologii fideliter nunciabit horas, optimè monebit officii, noxas minimè diſſimulabit.

Bernardus Domeſticum hoc Horologium peritè gubernandum docens, Bona eſt, inquit, conſcientia, quæ omnibus dulcis eſt, nulli gravis: utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, omnibus ad benevolen-

a Faden Stiſt oder Zaiger.

tiam, quibus poteſt ad beneficentiam. Bona eſt conſcientia, quæ habet in corde puritatem, in ore veritatem, in actione rectitudinem. *d*

Quintus fructus: Bona Conſcientia luculentum beatitudinis teſtimonium, quod laureata docet galea, quæ non tam ſecuritatis teſſeram, quàm cæleſtis dulcedinis argumentum exhibet, & officinam mellitiſſimæ ſuavitatis. Ante annos viginti ſigna duodecim divinæ Prædeſtinationis libro ſingulari propoſui, quem Zodiacum inſcripſi. Quod ſi duodena hæc ſigna in unicum ſint conflanda, hoc bona erit Conſcientia. Quod Bernardus apertiſſimè affirmans. Futuræ, inquit, beatitudinis nullum eſt certius teſtimonium, quam bona Conſcientia, & qui cuſtodierit illam, ſemper erit in gloriâ cum Angelis. *b* Sed eò non pertingit niſi Conſcientia, quam Bernardus omnibus dulcem, nemini gravem appellat. Sed hanc maximè conſpurcat flagitium duplex, uſitatiſſimum, quod ſubjungo;

a *Bern. l. de Conſcient. mihi pag.* 111. b *Bern. ib. mihi pag.* 1. 12. & 1099.

jungo; nempe libidinis & linguæ.

Si nullum penitus in orbe peccatum committeretur niſi linguæ, ac libidinis ſeu luxuriæ, cælum odiſſet meritiſſimò hunc orbem, & conſpueret, propter innumeras ſordes tot fœtentium Linguarum ac Libidinum. Exundat orbis hac geminâ peſte. Non eſt qui bonum loquitur, non eſt uſque ad unum. Num etiam addam? Non eſt qui animum feriò caſtum fovet, non eſt uſque ad unum. O libidinem humanæ gentis extremam perniciem! O linguas gehennæ incendium atrociſſimum! Quàm infinitus quotidie numerus Adulationum, blaſphemiarum, detractionum, calumniarum, mendaciorum & perjuriorum in orbe acervatur? Quis contineat vocem, & non interroget? O mortales, ubi veſtra eſt Conſcientia? num ea ſermones tam flagitioſos, tot pudendas libidines velut ſtruthiocamelus ferrum, concoquere poteſt?

O Lingua, ô Luxuria! ô geminas gehennas, quæ quotidie innumeros deglutiunt mortales! ô voragines & barathra, quæ quavis horâ infinitas

tas mergunt animas! ô abyſſos & ſine fundo ſoveas, quæ humanum genus dies noctesque ſorbent & hauriunt! Linguæ & Luxuriæ ignis, conſcientiam vaſtat, gehennam ditat, & in ignes præcipitat æternos. Lingua & luxuria præ aliis vitiis ſeverè ad Chriſti tribunal ventilabuntur. Diverſa in orbe hoc noſtro ſunt tribunalia; ſunt urbica & forenſia; ſunt ſacra & religioſa; ſunt oppidana & ruralia; ſunt comitialia & provincialia; ſunt regia & ſuprema; eſt Cæſareum Spirenſe. Atqui fieri poteſt, ut quis manibus aureis hæc omnia perrumpat, ſed hæreat in ultimo. Tres porrò judices præcipui ſunt, Mundus, Unuſquiſque noſtrum, & Chriſtus. Judicium Mundi fallaciſſimum, millies iterumque millies errat, & inſontes ſæpiſſimè plectit, perinde ut ſontes: contra nocentes cum præmiis, velut optimè meritos dimittit. Inſanit qui hæc Mundi judicia ſuſpicit. Non eſt, mi homo, quod tibi gratuleris, tametſi judicium Mundi cum laude ſuperaris, reſtat tibi de teipſo tuum, & Chriſti judicium. Si in tuo candi-

candidum feras calculum, & litteram faventem, æquo ſis animo & optimè ſpera, ad tribunal Chriſti te pulchrè ſtaturum. Nam prima eſt hæc ultio, ut ſupra doctus es ab Aquinate ſatyrico, quòd ſe judice nemo nocens abſolvitur. Quiſquis igitur à domeſtico ſuæ conſcientiæ tribunali abit indamnatus, vix cauſſâ cadet ad Chriſti tribunal. Siquidem è protocollo cujuſque conſcientiæ ferendum judicium.

Eſt igitur bona Conſcientia gloriæ cæleſtis fideliſſima teſſera, & luculentum beatitudinis æternæ teſtimonium. ſinu fert abditam cæli ſyngrapham, qui bonam ſemper nutrit conſcientiam.

Caput XIX.

Ante omnia curanda eſt Conſcientia.

CHilon Philoſophus jam ævo gravis, quod Laërtius memorat, ſe nullius ſibi conſcium ajebat, cujus pœniteret, re unicâ exceptâ. Interrogatus, quid unum illud angeret: Ad

Digitized by Google

Ad quæ Chilon: Rogatus ſum, inquit, ut arbitrum agerem inter duos litigantes amicos, eoſque reducerem in concordiam. At ego ne quid contra jus faſque agerem, & uni propenſius faverem quam alteri, perſuaſi utrique, ut quidquid eſſet litigii ad alium arbitrum deferrent. Ita legem non offendo, (ratiocinabar ipſe mecum,) & amicos ſervo; Hic ſcrupulus angebat ſenem ſibi ipſi occinentem. O mi Chilon, ſi illis parvulam hanc gratiam gratificatus fuiſſes, non tamen jus æquum violaſſes: etiamſi amicorum alter amicitiam renuntiaſſet, modò tu juſtitiæ amantior, quam popularis auræ perſtitiſſes.

O Conſcientiam, in homine non Chriſtiano, mirè teneram! Si illud magnus aliquis Antonius, ſi Hilarion, aut Paphnutius dixiſſet, laudem non modicam tuliſſet. Hinc ſanè liquet, quantum naturæ lumen, quod Deus pectoribus noſtris indidit, adjumenti adferat, ſi affectibus malignis non extinguatur. Agebatur Chilon conſcientiæ ſtimulis, non quod egiſſet male, ſed quod melius agere negle-

glexiſſet. His talibus exemplis Deus ſuaviter monſtrat, quid poſſimus facere, ſi velimus; & unà etiam oſtendit ſæpiſſime non ſcientiam deeſſe, ſed conſcientiam, de quâ locuti hactenus multa ſatis ad captum, pauca pro thematis amplitudine. Inſtituti mei erat, mi Lector, in hoc libello, (ne cramben tibi appoſitam putares) noſcendam dare Conſcientiam: excutiendam meus te Triſmegiſtus docet.

Hîc modò ſi à te impetrem, ut tuam ipſe Conſcientiam noſſe incipias, ſatis effectum credam. Salutis principium, arcana ſua non ignorare. Sed antequam dictionem hanc omnem epilogo claudam, hoc unum moneo. *Ante omnia curandam eſſe Conſcientiam.* Moniti hujus rationem jam reddo hoc capite.

SCRIPTURA

In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo Conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper. Actor. c. 24. v. 16.

PI-

PICTURA.

Hinc incendium, hinc naufragium, media teſtudo ſub ſuo fornice cum hac inſcriptione: ſalvâ domo, ſalva mihi omnia.

CUrandam ante omnia eſſe Conſcientiam cauſſa prima, & cauſſarum omnium eſt cauſſa, voluntas divina. In Jobi patientiſſimi tragicocomœdia Deus illuſtriſſimâ ſcenâ docuit, velle ſe hunc prophetam, hunc nuntium, *Conſcientiam*, ſupereſſe ſemper, & vivere. Cùm omnes Jobi facultates in Satanæ poteſtatem eſſent traditæ, Satanas impugnare Jobum ſic eſt aggreſſus. Boves arabant, & juxta paſcebantur aſinæ: ſubitò irruerunt Sabæi, & omne pecus abegerunt, & cuſtodes pecoris interfecerunt, mox nuntius pervolavit ad Jobum, qui diceret: Evaſi ego ſolus, ut nuntiarem tibi. Nondum iſte deſierat loqui, cùm ſupervenit alius, dixitque: Ignis cælo lapſus, omnes unà oves ac opiliones conſumpſit, & evaſi ego ſolus, ut nuntiarem tibi. Sed illo adhuc loquente, venit alius qui grandi

fol. 286



BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

grandi ore clamavit: Chaldæi diviſis tribus turmis impetum fecerunt in camelos, & abegerunt illos, ſervos autem occiderunt, & effugi ego ſolus, ut nuntiarem tibi. Nondum iſte finierat, & ecce, adeſt alius, qui luctuosè vociſeretur: Cùm filii tui & filiæ in ædibus primogeniti Fratris convivarentur, irruit turbo & quaſſatam domum evertit, ita liberi tui una omnes ruina ſunt ſepulti, & effugi ego ſolus, ut nuntiarem tibi. *a* Quid obſecro Deus voluit, ut unicus ſemperè ſtrage grandi evaderet triſtiſſimus nuntius? Effigies conſcientiæ fuit. Vult Deus hunc prophetam, hunc nuntium, tametſi narret ingratiſſima, ſemper vivere, perpetuò ſupereſſe, ubique locorum evadere, ut ſuo Domino, quicquid denique nuntiandum eſt, nuntiet liberrimè: Etſi pecuniam omnem prædones rapiant, etſi conjugem & liberos mors tollat, etſi ædes incendium hauriat, nihilominus currat hic nuntius, adſit Conſcientia, & dicat: Animos erige; non ideò tibi Deus iratus eſt, quando ali-

quan-

a *Iob.* 1.

quantulum durus eſt: exercet te, ut muneret te; corripit ut inſtruat, deprimit ut attollat; modica morula eſt, momentum eſt, quod affligit, æternum erit quod lætificabit. Aut vertat ſtylum conſcientia, dicatque: Hæc quæ pateris, omnino meritus es, & multò graviora. Tu igitur hanc neceſſitatem in rationem verte, & virtuti operare vel invitus. Deum jam ſanctiùs cole. Effugi ego ſolus, ut hæc nuntiarem tibi. Vivat hic nuntius vivat, qui præ omnibus eſt audiendus. Conſcientia ante omnia eſt curanda.

Altera cauſſa: Non eſt major interioris hominis miſeria, quam miſerum eſſe, & neſcire ſe eſſe. Hic certè geminato malo miſer eſt: malum primum eſt, Dei gratiam perdidiſſe, adeoque jam pauperrimum eſſe. Malum alterum eſt, extremam hanc egeſtatem ſuam ignorare, & divitem ſe credere. Chriſtus Joannis ore ſeveras minas jaciens: Incipiam te, inquit, evomere ex ore meo, veluti aquam, quæ nec calida nec frigida eſt. Quia dicis; quòd dives ſum,

&

& locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus? a Plerumque periculoſiſſimè decumbunt, qui ſcire nolunt ſe ægrotare. Sic animo ſunt miſerrimi, qui ſuas ipſi miſerias amant, quia ignorant. Horum plurimi ſunt, qui graviùs quidem delinquunt, ſed monente conſcientiâ ingemiſcunt, & facti pœnitet. Hoc quidem ſimplex eſt miſeria. Alii pariter iniquè agunt, ſed monentem conſcientiam non audiunt, miſerias ſuas aut oculis cæcis tranſeunt, aut blandis inſpiciunt, & ſe miſeros eſſe non credunt. Ita nec nuntius quidem cladis ſupereſt. Quis enim ſilente conſcientiâ, ſuam homini nequitiam in os opprobare audebit? Is militiæ Hiſtoricorum mos eſt, ut cædem copioſiſſimam, & cladem maximam ſignificaturi, nec nuntium quidem cladis ſuperſtitem fuiſſe dicant. Haud aliter homines illi qui conſcientiam pænè jam ſuffocarunt, miſerrimi ſunt cenſendi, quia jam fidus illis nuntius deeſt, qui currat & cla-

a *Apoc. c. 3. v. 17.*

niet: Effugi ego ſolus, ut nuntiarem tibi. Idcirco Chriſtus imminens Hieroſolymis exitium deplorans. Quia ſi cognoviſſes, inquit, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. O Hieruſalem, innumeris quidem flagitiis cooperta es, ſed ſupereſſet etiamnum remedio locus, modò tu tuam agnoſceres miſeriam. Miſeriarum omnium extrema eſt miſeria, verè miſerum eſſe, ſed illud ignorare, & ſibi de felicitate neſcio quâ inaniter blandiri. Malè facere, ſupplicium meretur; malè facta non agnoſcere aut defendere, gemino dignum ſupplicio. Hoc enim eſt nuntium cladis jugulare, conſcientiam velle extinguere. Ante omnia igitur cura conſcientiam, & quicquid perdas, hanc ſervare memento.

Tertia cauſſa. Illæſa conſcientia omne malum tolerabile. Rectè dixeris. Bona conſcientia clypeus eſt adverſus omne malum. Pœnæ malum intellige, non culpæ. Innocentius Pontifex, uti Nicephorus narrat, Chryſoſtomo variis ærumnis exagitatiſſimo, litteras miſit hoc monito:

Vide

Vide ne plus poſſit adverſariorum injuria, quam bona conſcientia. Omnia namque ſuſtinere debet, qui Deo primùm, deinde ſuæ quoque confidit conſcientiæ. Ajacis clypeus ſeptemplex intemerata Conſcientia. Clypeus priſcis pars magna victoriæ vel partæ vel perditæ. Clypeum abjeciſſe ingens dedecus erat: è bello redire ſine clypeo, probrum immenſum. Hinc virago Lacæna filium militiam ablegans: *Cum hoc*, ajebat, *aut in hoc redi.* Clypeus noſter adverſus omnem malorum turbam impenetrabilis, Conſcientia macularum expers. Cum hac vivendum, moriendum.

Valerius M. celebrat. M. Caſſium Scævam, centurionem admirandæ fortitudinis. (Cæſar Suævam vocat. *a*) Hic in Dyrrachio propugnando, capite, humero, fæmoréque ſaucius, & eruto inſuper oculo ſcutum Imperatori exhibuit 230. telis perforatum; quo teſtimonio meruit millibus æris ducentis donari, & ad primipilum promoveri. Aliás ad inſulam

a *Iul. Cæſ. de bello civili, l. 4.*

ſulam Britannicam è ſcopulo, deſertus à ſuis, tamdiu unus reſtitit ingenti hoſtium numero, donec tragulâ femur trajectus, ſaxique pondere ora contuſus, galeâ diſcuſſâ & ſcuto crebris foraminibus abſumpto, profundo ſe credere coactus eſt, ad Cæſarem enataturus: quod etiam præſtitit nihil vulneribus neque duplici loricâ impeditus. Quem Cæſar amanter exceptum cum laudare pararet; Ipſe loquentenr interpellans: Da veniam, inquit, optime Imp. da veniam ignavo militi, quòd ſcutum reliquerim. Factum hoc Valerius ipſi fortitudini præferendum cenſuit. Magnus, inquit, prælio fuiſti, ô Scæva, ſed major diſciplinâ militari. *a*

In ſpirituali pugnâ non tantùm dedecus, ſed & damnum maximum, hoc ſcutum relinquere. Omnia igitur ſi perdas, conſcientiam ſervare memento.

Quarta cauſſa: Conſcientia eſt columna, cui omne ſpiritale ædificium innititur. Ruit columna, tota ruendo ſequitur ſtructura. Lætabantur

a *Valerius*, l.3. c. 2.

tur Philiſtæi ſuæ poteſtatis eſſe Samſonem. In argumentum lætitiæ dies feſtos agebant, epulas inſtruebant; convivii acroama erat eductus Samſon è carcere, ut luſu cæco recrearet ſatrapas. Exoculati gradum regebat puer, cui Hebræus: Sine, inquit, ut geminas columnas, quibus ſtructura omnis imminet, tangam, quò mihi paullulum liceat reſpirare. Atqui domus virorum & feminarum refertiſſima, circiter tria millia ſpectatorum habebat, quos inter Philiſtæi quoque principes Samſonis luſum ſpectabant. Ille, exorato Deo columnam utramque, quibus tota domus nitebatur, apprehendens: ſepeliar, inquit, hac ruinâ cum Philiſtæis; quaſſatiſque vi maximâ columnis, tota domus corruit, & omnem illic multitudinem oppreſſit: multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. *a* Spiritale noſtrum ædificium, ſtructura mirabilis & longè capaciſſima, duas habet columnas, quibus omnis domus imminet, Dei gratiam, & Conſcientiam be-

a *Indic. c.15. v.24. & ſeqq.*

Digitized by Google

bonam, ſibi proximas; ruente unâ, ruit & altera; pari ſtant, caduntque concordiâ. Ante omnia ergo curanda Conſcientia, & non deerit divina gratia. Nihil ei ſalvum qui læſam gerit Conſcientiam. Quod Gregorius obſervans ſedulò: Quid, ait, tibi proderit, ſi te omnes laudent & Conſcientia accuſet? Aut quid obeſſe poterit, ſi tibi omnes derogent, & ſola Conſcientia defendat. *a*

Eam ob cauſſam Auguſtinus, quod ſupra inſinuavi, Secundum Manichæum impugnans, & Conſcientiæ ſcutum libertate maxima vibrans: ſenti, ait, de Auguſtino, quicquid libet, ſola me in oculis Dei Conſcientia non accuſet. *b* ſtet columen iſtud, & unà ſtabit totum ſpiritûs ædificium; dejecto columine illo, quicquid incubuit molis, concidet. Ideò Bernardus cautè incedendum docens, nihil, ait, æquè exaſperat illius tremendi judicis Majeſtatem, quam peccare & ſecurè peccare. Dejecta autem jacet hæc columna, cùm peccandi

a *Greg. hom. 6. in Ezech.* b *Aug. tomo 6. lib. contra Secund. Manich. c. 1.*

candi ſecuritate deprimitur conſcientia. Vt ergo cures animam, ante omnia cura conſcientiam.

Quinta cauſſa: ſalvâ conſcientiâ ſalva homini omnia. Erecta ſtet hæc quam diximus, columna, & firma erunt univerſa. Diogenes Cynicus cum adoleſcente collocutus, cùm illius vitia nonnihil tangeret, colorem duxit adoleſcens: Cui mox Philoſophus ſalva res; erubuit. Vivit etiamnum in hoc homine conſcientia. Nam ſignum conſcientiæ nondum extinctę, verecundus rubor. Afflictiones in Orbe plurimæ, maximæ, diverſiſſimæ, atque hinc querimoniæ infinitę. Eſt qui ad pauperiem extremam & ad ſaccum ſe detruſum ingemiſcat; alius ad ima ſe ſubſellia dejectum & poſtremiſſimum ſe cenſeri queritur. Num vobis, ò viri, bona eſt conſcientia? Benè eſt, ſalva ſunt omnia. Alii chariſſimorum funera deplorant, alii morborum ſævitiam aut diuturnitatem accuſant: ſi inter funera & morbos bona eſt conſcientia, ſalva ſunt omnia. Alii negotiorum molem, & edaces curas, grande putant

ſur-

ſupplicium; alii perditos favores humanos, & amiſſam principum gratiam, vel morte gravius cenſent. Si nondum perdita ſit bona conſcientia, ſalva ſunt etiamnum omnia. Alii obtrectatorum inſectationes, & capitales inſidias iniquiſſimè ferunt; alii tot adverſos & acerbos caſus ſibi arbitrantur intolerabiles. Tolerabilia planè ac ſalva ſunt omnia, ſi adhuc bona ſit Conſcientia.

Eſt qui malè ſe habere credat, & tamen pęnè neſciat, quâ corporis, quâ parte animi laboret. Fortaſſis parum ſana eſt Conſcientia? Tange, & explora, hîc ulcus, hîc vomicam invenies. Ergo nihil huic ſalvum eſt, quamdiu illi ſalva non eſt Conſcientia. Non dignitates non voluptates cum verè oblectant, quem accuſat & affligit Conſcientia. Adverſetur Orbis, & bellum in nos moveat: Quieta & ſalva erunt omnia, modò bona nos defendat Conſcientia. Ita verè res ſe habet; nihil in homine ſanum eſt, cum ægra eſt Conſcientia: ſed & contra, nec ſexcenti morbi officiunt, cum rectè valet Conſcientia.

Hoc

Hoc à naturâ beneficii ſerpens accepit, quomodocunque demum laceretur, & diſcerpatur, modo ſalvum & integrum conſervet caput, confectas partes non difficulter in priſtinam compagem colligit: Ita omnino ſalvum integrumque ſit hoc hominis caput, illæſa ſit conſcientia, & nulla quantumcunque damnorum ac calamitatum vis poterit nocere. Veriſſimum enim eſt Eccleſiæ priſcæ ſapiens oraculum? Nulla nobis nocebit adverſitas, ſi nulla nobis dominetur iniquitas. a Salvâ Conſcientia, ſalva omnia. Conſcientia igitur ante omnia eſt curanda.

O Pilate, Pilate, quam pro conſcientia egiſti fortiter! modò egiſſes etiam tam conſtanter. Hominem inſontem cruci ſuffigere, tua recuſabat conſcientia. Optimè hoc quidem; dummodò bene cœptis inhæſiſſes; dummodò à recti ſemitâ te dimoveri paſſus non fuiſſes. Lingua tua cum conſcientiâ tua belliſſimè conſenſit: Hinc publicæ voces illæ: Nihil cauſſæ invenio in hoc homine, inno-

a *In miſſa ſer. 6. poſt cineres poſt commun.*

nocens eſt Chriſtus. Rectiſſima ſententia, Romano præſide digna. Synteresis tibi ſuggeſſit: Nemo inſons eſt damnandus. Conſcientia ſubjunxit: hic homo eſt inſons (ſciebas enim quod Iudæi eum per invidiam tradidiſſent) facillima erat concluſio: Ergo hic homo non eſt damnandus.

HuncSyllogiſmum quem ſynteresis & Conſcientia ſimul ſtruxerunt, Pilatus concoquere non potuit, hinc in omnem ſeſe partem torſit, ut conſcientiam tueretur. Interim Pontifices inſtabant, populus repetitis vocibus clamabat, Crucifige Crucifige, Chriſtum omnes ad crucem poſtulabant. Quid hîc faceret judex Romanus, ſanè in arcto deprehenſus. Tentavit omnia ut has montis oppoſiti fauces anguſtiſſimas penetraret; omnem movit lapidem ut evaderet ſalvâ Conſcientiâ. Primum ergo ivit ac redivit ſæpius, & Chriſtum innocentem coram omni populo pronuntiavit. non ſucceſſit. Deinde vinctum hunc reum ad Herodem miſit, ut ipſe in populares ſuos jus diceret, Romanis in hanc rixam

non

non commiſſis, non ſucceſſit. Tertium ergo tentandum effugium, ſed conſcientia jam plurimùm læſâ. Inſontem Chriſtum tradidit flagellandum, ſperans illos hac ignominia mitigandos. Sed nec hoc ſucceſſit. Adhuc popularis furor ſupplicium crucis urgebat. Quartò igitur Barabbam latronem nequiſſimum compoſuit cum Chriſto, & petituris optionem fecit; liberarent, quem vellent: nihil dubitans, illos innocentem manifeſto nequam homini longè ante habituros: Nec hoc ſucceſſit. Nam univerſus populus clamavit: non hunc, ſed Barabbam. Quintus igitur tentandus exitus: Chriſtum flagellis fædiſſimè laceratum, & conduplicata ſanguinis & muricis purpura velatum ex edito probè ſpectandum monſtrat. At minus prioribus ſucceſſit; quò magis aſpiciebant, hoc magis furebant, velut tauri cruore viſo. Tandem ergo Pontius, tanquam Conſcientiæ ſuæ inſigniter ſatisfacturus, ſpectante populo lavit manus: interim eodem ore, quo Chriſtum ſæpius inſontem dixerat, jam veluti latro-

latronem nocentiſſimum in crucem attollendum pronuntiavit.

O Piſate, non aquâ eluitur Conſcientia, nec ſi totum illi Oceanum infundas: non aquâ, ò Præſes magne, non aquâ, ſed juſtitiâ placatur, & pœnitentiâ purgatur Conſcientia. O utinam, Ponti, conſcientiam defendiſſes conſtantius? Sed humanus timor, Imperatoris gratia forte perdenda, popularis furor, eparchia forſitan adimenda, tuo te ſtatu moverunt, conſcientiam rectam eripuerunt: & in miſerias præcipitarunt extremas, nunquam terminandam æternum duraturas.

Exemplum enim omni æternitati ſacrandum Pontius Pilatus eſt; qui Conſcientiam ſuam abjecit, ut Cæſaris retineret gratiam, &, infelix utrumque perdidit. Conſcientia ante opes, ante gratiam, ante honores, ante omnia fuerat curanda.

Finio cum Bernardo, qui Henricum Senonenſem Archiepiſcopum ad Conſcientiæ culturam excitans. Duo ſunt præcipuè, ait, quæ bonam reddunt Conſcientiam: *Et pœnitere de*

ve de malis, & abſtinere à malis: Hoc eſt, (ut verbis beati Gregorii* loquar:) Et commiſſa flere, & flenda non committere. Horum neutrum ſolum ſufficit. &c. Utriuſque virtutis bene conſcius animus ſecurè jam ſe ipſum deſerat, & quodammodo perdat, ut alios lucri faciat. Cum tali conſcientia nihil formidet, exemplo Hieremiæ & Ezechielis in Ægyptum vel Chaldæam cum transgreſſoribus captivari, & cum ſancto Job frater fieri draconum & ſocius Struthionum. *a* Cum Moſe quoque (quod gravius eſt) deleri de libro Dei. *b* Et cum Paulo anathema eſſe à Chriſto pro fratribus, *c* non timeat cum hujuſmodi conſcientia. Ipſam denique ſi neceſſe eſt intrare gehennam ſecurus, medias penetrans flammas læta decantet conſcientia: Et ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Comparemus, ſi placet, Theſauros Regum & Faſtigia Regnorum cum hujuſmodi fiducia; nonne cuncta horum

a *Iob.* 30. 29. b *Exod.* 32. 32. c *Rom.* 9. 3. d *Pſal.* 22. 4.

horum felicitas præ tanti boni divitiis miſeria reputabitur? Et hanc fiduciam operatur charitas de corde puro & *Conſcientia bona.* a Hactenus mellifluus Bernardus. Tu, mi optime Lector illi morem gere, & ante omnia conſcientiam cura, & ſalva erunt omnia. vale.

a *Bern. c. 41. ad Henricum Archi. Senon. col. 5.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX RERUM

A Fol.

ADulterium cauſa majoris mali 60
Agonizantis Stephani lucta. 153
Alcmæonis pallium. 46
Alexandro Conſcientia pro carnifice 53
Aulicus à Conſcientia exagitatus. 140
Aulicus pœnitentiam male differt. 158

B

S. Bernardus ſcrupulis liberat. 104

C

Cadaveris aſpectus pœna Parricidæ. 262
Caput piſcis admonet ſceleris. 105
Charitas erga proximum ſolatium mortis. 161
Cognitio ſui ad felicitatem via. 206
CONSCIENTIA hominum tam varia quam vultus. 20. ejus encomia. 26. Differentia cum Synthereſi. 23. Comparata libro. 24. Lectulo. ibid. Speculo. 25. Byſſo. 26. Oraculo. ibid. Horologio. 27. Muro. 28. Gallo. ibid. Cani. 29. Pædagogo ibid. Antigrapheo. 30. Deo ibid.
Remorſus ejus latronem cogit, ut ſe judici ſiſtat. 32. juge convivium eſt 37. Nepenthes. 38. Scyphus Ioſeph. ibid. laus illius optima muſica. 40.

Con-

Digitized by Google

Conſcientia Echinus inter canes latrantes. 40. Paradiſus. 41. ejus encomia ex Bernardo. 42. Refrigerat. 45. Ornat præ veſtibus. 46. Martyres inexpugnabiles facit. 48. Perperam mola dicitur. 50. Culeum parricidarum repræſentat. 52. pro carnifice eſt. ibid. ejus tormentum gehennam præcedit. 55. Ejus nullum effugium, nullum ſolatium. 56. Cilicium perpetuum. 58. Aquila Promethei eſt, Titii vultur, vermis ſemper rodens. 59

Errans conſc. exemplis docetur. 67. & ſeqq. Quid ſit Phariſaica. 77.

Quid in dubio faciendum. 85. & ſeqq.

Scrupuloſa quid ſit. 94. Origo Scrupulorum monſtratur. 96. remedia ſuggeruntur. 97.

Quid Cauteriata. 110.

Argo centoculo comparatur. 121. Flagello quod ſervos in ordinem redigebat. 131.

Quos effectus habeat tam bona quam mala. 132.

Non extinguitur. 137.

Nuntium Iobi repræſentat. 288.

Vxorem objurgantem imitatur. 147.

Actiones omnes quaſi lapillis atris aut albis adnotat. 150.

Bona

Digitized by Google

Bona in agone ſecura eſt. 153.
C*lypeus eſt adverſus omnia mala.* 291.
C*olumna ædificii ſpiritualis.* 292.
Monitor præteritorum. 155.
Decem cauſæ, ob quas diligenter excutienda. 193.
Conſcientiam ante omnia curandam. 283
C*ordis palpitatio prodit homicidã.* 168
Cruciarii C*rucem ſibi ipſi ferebant.* 55.
Culeus parricidarum. 51.

D.

Dæmon odit locum pœnitentiæ. 202.

E.

Emendatio vitæ male dilata. 158.
Equitis obærati ſecurus ſomnus. 243.
Examinis faciendi 10. *cauſa.* 188.

F.

Felicitatis via. 206.
Facies nulla ſimilis alteri. 19.
Fur religioſus. 89.
Fures duo ſeipſos produnt. 130.

H.

Homicida proditur cordis pulpitatione. 168.

I.

Impœnitentis juvenis mors. 185.
Inceſtæ nuptiæ ex adulterio. 61.
Injuſtitia ex adulterio. 62.
Juvenis impœnitens. 185.

V. *Læti*

L.

Lætitia ex Conſcientia, 47.
Latro ſeipſum ſiſtit judici. 32.
Laus conſ. optima muſica. 39.
Libertas religionis. 229.
Locus pænitentiæ Diabolo exoſus. 203.
Ludimoderator Anglus. 229.

M.

Maledicta pati, quā loqui præſtat. 240.
Malitia ſui ipſius carnifex. 52.
Meditatio noviſsimorū quid proſit. 252.
Melas Eques porri ſucco perit. 234.
Mors impænitentis aulici. 141. 158.
juvenis. 184.
Morientis pugna. 153. *Solatium ex præſtita charitate.* 161.
Mores fingunt Conſcientiam. 217.
Muſica optima laus. 40.

N.

Nepenthes antidotum triſtitia. 38.
Neroni conſ. pro carnifice. 53.
Nuptiæ inceſtæ ex adulterio. 61.

O.

Origo ſcrupulorum. 96.
Origines in cathedra obtumeſcit. 115.
Otii fructus. 101.

P.

Pallium Alcmæonis. 46.

Par-

Parricidii pœna. 51.

Peccatum in tentatione minimum, perpetratum fit maximum. 127. 128.

Periclis morientis ſolatium. 161.

Pœnitentiæ locum dæmon odit. 203.

Prodit homicidam cordis palpitatio. 168

Puluillus obærati ſecurè dormientis. 243.

R.

Religio in minimis, contemtus maximorum. 59.

Religionis libertas præmium ludimagiſtri. 229.

S.

Sacrificantis ſcrupuli. 104.

Sceleratorum crux conſcientia. 52.

Scelerati crucem ſibi præferebant. 55.

Scrupulorum origo 96 *remedia.* 100.

Scrupuli ex reverentia ſacrificii. 105. *ex Blaſphemia.* 105. *ex charitate omiſſa.* 284.

Solatium morientis Periclis. 161.

Somnus tranquillus obærati. 243.

Supplicium Parricidarum. 51.

T.

Themiſtocles laude præ muſica amat. 39

Thomas Morus cum morte jocatur. 241.

V.

Via ad felicitatem ſui cognitio. 206.

INDEX. Capitum.

CAp. 1. Quid ſit Conſcientia.
Cap. 2. Conſcientia bona theſaurus maximus, ſummum bonum.
Cap. 3. Conſcientia rea tormentum graviſsimum.
Cap. 4. Conſcientia errans conſcientia nulla.
Cap. 5. Conſcientia dubia peritè dirigenda.
Cap. 6. Conſcientia Scrupuloſa tam erroris quam doloris plena.
Cap. 7. Conſcientia cauteriata plus errat quàm dolet.
Cap. 8. Conſcientia tam bona quàm mala, potentiſsima.
Cap. 9. Conſcientia inextinguibilis.
Cap. 10. Conſcientiæ vultus in morte hominis.
Cap. 11. Conſcientiæ vultus in funere Orbis.
Cap. 12. Conſcientiam non audire, principium interitus.
Cap: 13. Cauſæ V. Conſcientiæ quotidie examinandæ.
Cap. 14. Aliæ V. cauſæ Conſcientiæ quotidie examinandæ.

Cap.

Cap. 15. *Conſcientia bona quomodo acquirenda,*

Cap. 16. *Conſcientiæ bonæ, ſive purgatæ ſigna.*

Cap. 17. *Signa Conſcientiæ perverſæ.*

Cap. 18. *Conſcientiæ bonæ multiplex fructus.*

Cap. 19. *Conſcientia ante omnia curanda.*

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO PROVINCIALIS
cum Privilegio Cæſareo.

LIbrum de Conſcientia poſthumum P. Hieremiæ Drexelij p. m. è noſtra Societate Sacerdotis à deputatis Patribus cenſum probatùmque. Ego Georgius Spaiſer Societatis JESU per ſuperiorem Germaniam præpoſitus Provincialis facta mihi poteſtate ab admodum R. P. N. Generali Goſwino Nickel publici juris fieri concedo. Poteſtatem inſuper Joanni Wagner Bibliopolæ Monaceſi facio, jus Cæſarei privilegii uſurpandi, quo Typographis & Bibliopolis omnibus facultas adimitur, vulgatos à Societatis JESU Patribus libros citra ſuperiorum Autorumque conſenſum recudendi, aut intra S. R. Imperii ac Provinciarum Sacr. Cæſ. Majeſtatis Hæreditario jure ſubjectarum fines importandi. In cujus rei fidem Chirographum hoc dedi, Officii mei ſigillo munitum. Landſpergæ. 17. Sept. 1652.

Georgius Spaiſer.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1.

Digitized by Google

Digitized by Google